

# MONOTESSARON

SIVE

## CHRONOTAXIS ANNORUM ET GESTORUM CHRISTI,

IN QUA

QUATUOR EVANGELIA RECTO ORDINE TEMPORIS DIGERUNTUR ET INTER SE ORDINANTUR  
ET UNAM VITAE CHRISTI HISTORIAM EFFICIANT.

### INFANTIA, ADOLESCENTIA, ET YUVENTUS CHRISTI,

SIVE

Acta christi a conceptione usque ad annum trigessimum completum, quando a Joanne baptizatus est.

Verbum, quod erat in principio apud Deum, ideoque lux et vita mundi in tempore creati, factum est caro, puta Dei Filius factus est homo, ut homines Dei filios efficieret, anno a mundi creatione 3950, qui fuit a diluvio annus 2293, ab Abraham 2001, a Roma condita 751, a captivitate Babylonica 591, ab hebdomadibus Danielis 453, a Machabeis 163, ab annis julianis 43, Augusti Caesaris circiter 42, *Joan. i (1)*; idque hoc modo et ordine contigit.

Archangelus Gabriel, missus a Deo, nuntiat Zachariae conceptionem S. Joannis Baptiste, qui futurus erat praecursor et index Christi; quare Elisabeth, ejus uxor, concepit S. Joannem. Idem Gabriel, post sex menses, die 25 martii anni jam dicti, nuntiat B. Virgini conceptionem filii Dei; consentit illa, concipitque, ac in ea Verbum caro factum est. B. Virgo visitat Elisabetham, ac ipsam cum Joanne implet Spiritu sancto. Nascitur Joannes die 24 junii. Nascitur Christus in Bethlehem die 23 decembris ejusdem anni, ac die octava, puta prima die Januarii circumciditur vocaturque Jesus, id est Salvator. *Luc. cap. i et ii. Genealogiam Christi ex patriarchis et regibus textit Matthaeus, cap. i, et Lucas, cap. iii.*

Die 13 ab ortu Christi, puta die 6 Januarii proxime sequentis, Magi, duce stella exciti, veniunt in Bethlehem, Christum adorant eique offerunt aurum, thus et myrrham; fugientes Herodem, alia via revertuntur in terram suam. *Matth., cap. ii, 1 (2).*

(1) P. Patritius censet Christum natum esse anno perodii juliana 4707, seu a creatione mundi 3976, septimo ante aetam vulgarem. Vide qua de ea questione fusa disputat *De Evangel. lib. III, diss. 20, tom. II, p. 277, ed. Frib. Brig. 1853.*

(2) Rectius ponitur Magorum adoratio post Mariae purificationem, uti suo loco ostenditur.

Die 40 ab ortu Christi, puta die 2 Februarii, quasi die purificationis puerperae lege praescripto, B. Virgo puerum Jesum offert in templum; quem S. Simeon, in ulnas accipiens, Messiam praedicat, eoque ac Anna prophetissa. *Luc. ii, 22.*

Herodes se delusum videns a Magis, occidit omnes infantes in Bethlehem, hoc fine, ut inter eos et Christum occideret; sed is jam angeli monitu a Joseph et Maria abductus erat in Egyptum; qui, mortuo Herode, reducit die 7 Januarii moraturque in Nazareth; unde Nazareus cognominatur. *Matth. ii, 23.*

Christus duodennis ascendens cum parentibus Hierosolymam, ab his perditus, post triduum repertus est in templo inter doctores, cum quibus reversus in Nazareth, subditus illis, proficiebat aetate, sapientia et gratia apud Deum et homines. *Luc. ii, 42.*

A duodecimo anno usque ad trigessimum Christus delinuit et artem fabrillem exercuit. *Luc. ii, 23; Marc. vi, 3; Matth. xiii, 55.*

### VIRILIS CHRISTI AETAS.

Acta Christi a baptismo usque ad proximum pascha, puta acta per tres menses proximos, scilicet ab initio Januarii anni 31 Christi usque ad 25 martii.

Anno 15 Tiberii Caesaris, S. Joannes Baptista in deserto, juxta Jordanem, jussu Dei cepit predicare poenitentiam, et baptizare viamque Christi preparare. *Luc. iii, 1.*

Eodem anno Christus, expleto anno aetatis trigesimo, ac trigesimo primo per tredecim dies inchoato, baptizatus est a Joanne die 6 Januarii, eadem scilicet die qua ante triginta annos puer adoratus fuerat a Magis. *Luc. iii, 21; Matth. iii, 13; Marc. i, 9;* tumque a Deo declaratus est qui esset, scilicet filius non Joseph, sed Dei; nam Spiritus sanctus in eum specie columbae descendit, et vox Patris intonuit: « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » *Matth. iii, 16; Luc. iii, 21; Joan. i, 23.* Ex hac voce Joannes testatus est ipsum esse Messiam patribus promissum, id est redemptorem et salvatorem mundi. *Ibidem.*

## CHRONOTAXIS GESTORUM CHRISTI.

17

Illico a baptismo, puta eadem die 6 Januarii, Christus secessit in desertum, ubi, ut se ad opus praedicationis praepararet, per quadraginta dies vacavit orationi et jejuniis, post quos esuriens tentatus a diabolo, cum superavit, ac Angeli ei ut Domino suo, ministraverunt. *Matth. iv, 1; Luc. iv, 1; Marc. i, 12.* Coepit ergo Christus jejunium quadragimum die 7 Januarii, finit die 40, quae fuit 15 Februarii, qua die, victo tentatore diabolo, revertitur in Galileam, et quindecim diebus manet in Nazareth, ait S. Epiphanius, *haeresi 13.*

Die 56 a Baptismo, ait S. Epiphanius, *haeresi 51*, scilicet die prima martii (erat enim ille annus bissextilis, ac consequenter februarius habebat 29 dies), Judaei legatos miserunt ad Joannem, rogantes an ipse esset Messias? negavit ipse, et postera die, quae fuit 2 martii, Joannes videns Christum venientem, eundem digito demonstravit, dicens: « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. » Idem fecit, dixitque Joannes postridie, puta die tertia martii, quo audito, duo ex ejus discipulis secuti sunt illico Jesum, quorum unus, Andreas, fratrem suum Simonem postridie ad Jesum adduxit. Postridie item, puta die 4 martii, Jesus vocavit Philippum, qui Nathanaelem adduxit; ita enim haec per singulos dies enarrat et consignat S. Joannes, cap. i, n. 29, 33, 43, 45.

Tertia exinde die a vocatione Petri et Andree, scilicet die 5 martii, quo fuit sexagesima a baptismo Christi, ait S. Epiphanius, *haeresi 31*, Christus vocatus ad nuptias in Cana Galilaeae, mutavit aquam in vinum, hocque primum ejus fuit miraculum, quo se, quis esset, mundo patefecit. *Joan. ii, 1.* Mox descendit Capharnaum. *Ibidem. 42.*

### ANNUS PRIMUS

#### PRÆDICATIONIS CHRISTI,

Nimirum acta Christi a primo Paschate post baptismum usque ad Pascha secundum, scilicet acta a die 25 martii anni 31 Christi, usque ad finem martii anni 32 Christi.

Christus ex urbe Capharnaum, instante Paschate, ascendit Hierosolymam, ubi flagello ejectiones ementes et vendentes e templo, ac praedicans pluraque miracula patrans, multos ad credendum in se pellexit. *Joan. ii, 13 et 14.* Haec omnia contigerunt in martio ejusdem anni, qui fuit 31 Christi.

E quibus unus fuit Nicodemus, princeps Judaeorum, cui Christus spiritualis regenerationis, per baptismum et fidem in Christum crucifigendum, necessitatem ostendit. *Joan. iii, 1.*

Coepit ergo Christus anno aetatis trigesimo primo sub Pascha per se praedicare, et per Apostolos sub initium aprilis in Judea baptizare: quare multi a Joanne, ipso probante et instigante, ad Christum transierunt. Unde Joannes, quasi suo defunctus officio, Herodem ob adulterium reprehendens, sub decembrem ab eo coniectus est

in vincula. *Joan. iii, 22 et 23; Matth. xiv, 3; Marc. vi, 17; Luc. iii, 19.* Quare Christus Herodem fugiens a Judea initio anni 32 (ut patet ex eo quod ipse ait: « Adhuc quatuor menses sunt, et messis venit. » *Joan. iv, 35*), perrexit in Galileam, ac in itinere transiens per Samariam, Samaritanam adulteram, et per eam ceteros Samaritanos convertit, ac post biduum prosequens iter in Galileam, a Galilaeis benigne exceptus est. Igitur sub initium februarii egressus in Cana Galilaeae, ibi rogatus a regulo, filium ejus febricitantem a febris liberavit, fuitque hoc secundum Christum ibidem miraculum, quod plura alia secuta sunt, quibus ipse praedicationem suam in Capharnaum confirmavit. *Matth. iv, 12 et 13; Marc. i, 14; Joan. iii, 22, et cap. iv, 1, 4, 45 et 46.*

Inde ambulans juxta mare Galilaeae, per miraculum capture piscium Petrum et Andream, mox Jacobum et Joannem ad sui sequelam evocavit, eosque piscatores hominum effecit. *Matth. iv, 18; Luc. v, 1; Marc. i, 16.*

Cum his introiens synagoga Capharnaum, praedicans daemonaicum a daemone liberavit, et domum Petri ingressus, socrum ejus a febris multosque alios a variis morbis sanavit. Postridie orandi causa secessit in desertum, ubi a Petro, et mox a turbis repertus, ut eas fugeret, jussit discipulos transfretare, et in novi orbis orientis, orta tempestate, a discipulis excitatus ventis imperavit et mari. *Marc. i, 21, 30, 32, 42; Luc. iv, 23, 31, 38, 40, 42; Matth. viii, 14, 16, 18, 24.* Haec et sequentia videntur contigisse initio martii anni Christi 32, ante Pascha.

Transfretans ergo, pervenit in regionem Gerasesorum, ubi duos daemonaicos sanavit, permittens demonibus a daemone liberavit, ut in porcos introirent; qui in eos ingressi, eorum duo millia in mari submerserunt. Quare rogatus ab incolis ut discederet, rursus transfretans, redit Capharnaum, ubi paralyticum, per lectum ad se submissum, curavit. *Matth. viii, 28, et cap. ix, 1; Marc. v, 1, et cap. ii, 1; Luc. viii, 26, et cap. v, 18.*

Inde egrediens ad mare, Matthaeum ad telonium sedentem ad sui sequelam evocavit. Mox Jaira filiam a morte suscitavit, et in itinere haemorrhoeis a fluxu sanguinis curavit, ac duos caecos illuminavit et daemone mutum expulit. *Matth. ix, 9, 18 et 27; Marc. ii, 14, et cap. v, 22; Luc. v, 27, et cap. viii, 41.*

### ANNUS SECUNDUS

#### PRÆDICATIONIS CHRISTI,

Continentis acta a secundo Paschate post baptismum usque ad tertium, puta a fine martii anni 32 Christi usque ad finem martii anni 33 Christi.

Christus a Galilaea profectus Hierosolymam ad secundum Pascha, aegrotum per 38 annos decumbentem ad probaticam piscinam sanavit, jussit

que ei grabatum tollere die Sabbati : quare illud opus quasi Sabbati violationem accusant Iudei, sed Christus nullis idipsum defendit. *Joan. v. 2.* Sic et phariseos taxantes ejus discipulos, quod fames in Sabbato vellent epicas (sub finem aprilis anni 33 Christi), confutat. *Luc. vi. 4; Matth. xii. 2; Marc. ii. 23.* Idem præstitit, cum alio Sabbato cuidam manum aridam resitisset. Unde Iudeorum iras declinans, contulit se ad mare, ubi turbam docuit et plurimos agros ac diabolo possessos curavit. *Matth. xii. 9 et 15; Marc. iii. 1, et Luc. vi. 6.*

Inde sub medium mali secessit in montem, et pernoctans in oratione, mane duodecim Apostolos elegit, ad quos coram ingenti hominum multitudine habuit sermonem, qui in monte cognominatur, ac summam vite christiane et perfectionis Evangelicæ complectitur. *Marc. iii. 13; Luc. vi. 12 et 17; Matth. v. 1.*

Descendens de monte in agro Capharnaensi, leprosum mundavit; et urbem ingressus, servum Centurionis paralysi liberavit, ac in ingressu Naim filium viduae a morte suscitavit. *Matth. viii. 1 et 5; Marc. i. 40; Luc. v. 18, et cap. vii. 1 et 11.*

Hec audiens Joannes in carcere, misit ad eum duos discipulos, ut ab eo discerent ipsum esse Messiam; quibus ad Joannem regressentibus Christus laudat Joannem, taxatque Scribas et Phariseos, quod nec Joanni, nec sibi crederent : quare eis præfert publicanos et meretricis penitentes. *Luc. vii. 18 et 24; Matth. xi. 2 et 7.*

Quocirca prandens apud Simonem Phariseum, Magdalene penitenti peccata condonat, eamque Simoni præfert. *Luc. vii. 36.* Mox Capharnaï dæmoniacum, cæcum ac mutum sanat; ac Phariseos hec miracula quasi magica carpentes, confutat. *Matth. xii. 22, 24; Luc. xi. 14, 15; Marc. iii. 21.*

Advēant cognati, ut eum quasi furiosum ligent. *Marc. iii. 21.* Significanti adesse cognatos respondet, fratres et cognatos suos esse eos qui avertunt et custodiunt Verbum Dei. *Matth. xiii. 4, 3; Marc. iii. 31; Luc. viii. 19.*

E domo vadens ad mare, ibi turbam docuit per varias parabolas seminis, zizaniorum, sinapis, fermenti, quæ domi discipulis explanavit, addens alias, thesauri, margaritæ et sageneæ missæ in mare. *Matth. xiii. 4; Luc. viii. 4; Marc. iv. 1.*

Pergens in Nazareth patriam suam, ibique concionans, a suis non est auditus, imo urbe expulsum et fere præcipitatus : quare vicinas urbes, ceterosque Galilææ vicos et civitates, evangelizando, cum suis perambulabat. *Marc. vi. 6; Luc. viii. 4.*

Duodecim Apostolos mittit binos ad regnum Dei prædicandum et sanandum egros : illi ubique prædicant, demones pellunt, egros oleo ungentes sanant. Idem facit Jesus Galilæam obeundo. *Matth. x. 1, et cap. xi. 1; Marc. vi. 7, 12.*

Herodes hæc audiens, suspicia ut Jesum esse

Joannem, paulo ante a se occisum et jam a morte suscitatum. *Luc. ix. 7; Matth. xiv. 1; Marc. vi. 14.* Quare ejus insidias declinans Jesus, secessit cum suis trans mare Galilææ in desertum, ibique turbas affluentes docens et sanans, quinque millia virorum pavit quincque panibus hordeaceis et duobus piscibus : quare cum turba vellet eum regem creare, jubens discipulos transfretare, ipse solus vespere fugit in montem orandi causa; sed discipulis in mari periclitantibus, ambulans super mare, Petrum ad se venientem, sed fide titubantem, cum jam mergeretur, erexit et tempestatem sedavit, ac appellens in terram Genesareth, omnes egros tactu fimbriæ sanavit. *Matth. xiv. 13, 22, 24, 34; Marc. vi. 30, 45, 48, 53; Luc. ix. 10; Joan. vi. 1, 13, 18.*

Postridie, multis eum ob multiplicationem panum sequentibus, eos traduxit ad desiderandum panem spirituales et cœlestem, qui dat vitam mundo et sine quo nemo vivere potest; atque hunc panem se esse asserit; nam suam carnem esse cibum, et suum sanguinem esse potum, qui confert vitam æternam. *Joan. vi. 24.*

### TERTIUS ANNUS

#### PRÆDICATIONIS CHRISTI.

Continens acta ejusdem a tertio Paschate usque ad Instans Pascha quartum, puta usque ad suscitacionem Lazari; hoc est, acta Christi a fine martii anni 33 ætatis Christi, usque ad initium martii anni 34 ejusdem.

Tertio hoc Paschate Jesus non ascendit Hierosolimam, ut ex lege solebat, quia Iudei et necem machinabantur : secessit ergo in Galilæam, ubi Scribis discipulos ejus arguentibus, quod illotis manibus manducarent, docet non illa que in es intrant, sed que de corde exeunt, hominem contaminare. *Joan. vii. 1; Matth. xv. 1; Marc. vii. 1.*

Sub initium maii, ut videtur, e Galilæa abiit in partes Tyri et Sidonis, ubi Chanaanæ filiam, victus matris precibus, a dæmone liberavit; inde regressus in Galilæam, multorum languores depulit, ac surdum et mutum digitis in aures immissis, et linguæ saliva confingens, curavit. *Matth. xv. 21 et 29; Marc. vii. 32.*

Mox miseris turbæ se sequentis et famentis, rursum quatuor millia virorum pavit septem panibus et paucis pisciculis; deinde conscensa navi venit in fines Magedan. *Matth. xv. 32 et 39; Marc. viii. 1, et cap. vii. 10.*

Ibi curiositatem Phariseorum signum de celo flagitantium retundit. Rursum transfretans, monet discipulos ut caveant a fermento, id est hypocrisis Phariseorum; ac veniens Bethsaidam, cœcum extra vicum illuminat : inde accedens ad partes Cesarææ Philippi, ob Petri fidem, qua dicebat : « Tu es filius Dei vivi, » eum petram Ecclesie futurum promittit; mox mortem crucis se

Hierosolymæ subitum prædicat, quam cum Petrus exhorresceret, a Jesu corripitur doceturque cuique qui salvari velit, suam crucem esse ferendam. *Matth. xvi. 1, 13, 21; Marc. viii. 14, 22, 27, 31; Luc. ix. 18 et 22.* Id videtur contigisse sub finem juli : nam

Octava exinde die, que fuit sexta augusti (hac enim die Ecclesia recolit memoriam transfigurationis Christi), transfiguratur coram Petro, Jacobo et Joa. ac, ac resplendens ut sol eum Elia et Enoch de sua morte colloquitur. Accessit vox Patris : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ; ipsum audite. »

Postridie, puta septima augusti descendens de monte ad turbas, sanavit dæmoniacum quem discipuli sanare nequiverant, eo quod hoc genus dæmoniorum non pellatur, nisi oratione et jejuniis. Proficiens per Galilæam, rursum prædicat suam mortem et resurrectionem. Ingrediens Capharnaum, jussit solvi publicanis didrachmum, unum pro se, et alterum pro Petro. *Matth. xvii. 14, 22, 24; Marc. ix. 13, 29; Luc. ix. 37, 44.*

Ibi revelavit et redarguit ambitionem Apostolorum, qui in itinere de primatu contendebant; docuitque valde cavenda esse scandala, ac modum quo corripiendus est proximus peccans, eique si peccaverit, veniam esse dandam, idque probat parabola servi immisericordis a quo herus omne debitum jam remissum repetit. *Matth. xviii. 1, 6; Marc. ix. 32, 41; Luc. ix. 46, et cap. xvii. 1.*

Inde in septembris ascendit Hierosolimam ad festum Tabernaculorum (quod celebratur die 15 mensis Tisri, que illo anno videtur incidisse in diem 29 septembris), sed occulte in via male exceptus a Samaritanis, cum Joannes et Jacobus vellent eos perdi fulmine, docuit suum Spiritum non esse ultionis, sed charitatis ; ideoque Samaritanum leprosum curavit, ac gratum præ aliis laudavit. Ingressus Hierosolimam ultima die festi Tabernaculorum, puta die sexta octobris, tanta gratia concionatus est, ut ministri ad eum capiendum missi, ipsi caperentur; vespere vero exiit in montem Oliveti. *Matth. xix. 1; Joan. vii. 2 et 14, cap. viii. 1; Luc. ix. 51, et cap. xvii. 11.*

Ex monte Oliveti postera die regressus in templum, adulteram, pudefactis Scribis eam accusantibus, absolvit : mox docens se esse Dei Filium, cum Iudei eum quasi blasphemum lapidare vellent, secreto exiit e templo. Inde cæcum a nativitate, die Sabbati, oculos luto ex sputo obliuensis, illuminavit : mox asserens se esse hominem pastorem, de eo, ac de mercenario et ovibus fuse disseruit. *Joan. viii. 2, 12, et cap. ix. 1, et cap. x. 1.*

Discedens Hierosolyma, peragravit vicos et urbes Judææ, ac 72 discipulos designans, misit eos binos instar Apostolorum cum mandatis in omnem locum, ad quem erat ipse venturus. Quos cum gaudio ad se revertentes, modestie

admonet et felices prædicat, ac spiritu exultans celebrat Dei sapientiam, que sua arcana revelat parvulis illamque a superbis sapientibus abscondit. *Luc. x. 1, 17; Matth. xi. 25.* Illicusque ordo certus est. Cæterorum que sequuntur ordo probabilis est, ac non plane certus.

Jesus a legisperito tentatus, que sit via ad vitam æternam, mandatum dilectionis Dei et proximi assignat : instante illo, quis sit proximus, idipsum per parabolam Samaritanis qui vulnerati curam suscepit, declarat. *Luc. x. 25.*

Novembri mense hospitio excipitur a Martha et Magdalena, ac pium hujus otium sollicito illius ministerio præfert. *Luc. x. 38.*

Peracta oratione, tradit discipulis normam orandi : *Pater noster*, etc., moneque perseverandum esse in oratione, cuius vim per parabolam importune noctu petentis panes pro hospite amico, ostendit. *Luc. x. 15, et cap. xviii. 1.*

In vitatus a Phariseo ad mensam Phariseorum, lotiones, superbiam, hypocrisis, etc., redarguit. *Luc. xi. 37.*

Interpellatus a quodam dicente : « Dio fratri meo ut dividat mecum hereditatem, » avocatur ab avaritia et sollicitudine temporalium, et ad curam æternorum spemque divinæ providentiæ, ostendens hujus vite brevitetem et adventus Domini incertitudinem, multis adhortatur. *Luc. xii. 13.*

Audiens Galilæas a Pilato occisos, omnes stimulat ad penitentiam, ne similiter instar filius sterilis excidantur. *Luc. xiii. 1.*

Sabbato sanans feminam contractam, ideoque reprehensus ab Archisynagogo, ejus præposteram religionem confutat, ac per parabolam grani sinapis et alteram fermenti demonstrat Evangelicam prædicationem a parvis initiis ad magna incrementa processuram. *Luc. xiii. 10.*

Rogatus a pauci salvatorem, affirmavit ; ideo arctam virtutis viam cuique esse capeendam, idque cito, ne clauso cœli ostio frustra illud pulsemus. Eadem die monuit ut caveat sibi ab Herode, respondit se non ab Herode, sed a Hierosolymitanis occidendum, ideoque illos a Tito esse vastandos. *Luc. xiii. 22 et 31.*

Decembri mense invitatus a principe Phariseorum ad mensam, die Sabbati sanat hydropicum, idque licere evincit ac docet invitatos humilitatem, ut inum locum capeant ; invitantem vero misericordiam in egenos. Unde inducit parabolam invitantis ad cenam, qui, divitiibus se excusantibus, vocavit pauperes undequaque collectos, que significat Iudeis ubi superbiam rejecerit, gentes humiles ad cœlesti Christi epulum vocandas. *Luc. xiv. 1.*

Affluentem turbam docet eum qui suus velit esse discipulus, debere terrenis affectibus renuntiare ac suam crucem tollere ; ideoque instar ædificantis et bellantis debere prius vires suas explorare, an ad tam ardua sufficiant. *Luc. xiv. 25.*

Reversus Hierosolimam ad festum Enceni-  
orum, quod celebrabatur die 25 mensis Casleu,  
quam mathematici censent illo anno incidisse in  
diem septimum decembris, rogatus a Judæis ut  
clare ediceret an ipse esset Christus, respondit  
opera sua idipsum demonstrare, sed illos non  
credere, eo quod ex ovibus suis non essent;  
quare illorum iræ et perfidiæ se subducens, abiit  
in Bethabara, ubi Joannes baptizavit, cumque eo  
multi etiam peccatores et publicani confluerent,  
illos more suo docuit et curavit. Murmurantes  
Phariseos quod peccatores reciperet, confutavit  
tribus parabolis, scilicet ovis errantis, drachmæ  
perditæ et filii prodigi. *Joan. x, 22, 40, 41;*  
*Matth. xix, 2; Marc. x, 1; Luc. xv, 4.*

Exiit deinde ad eleemosynam per exempla  
villici iniqui et divitis epulonis. *Luc. xvi, 4,*  
quibus tacite taxat Phariseorum avaritiam.

Ibidem disputat cum Phariseis de divortio,  
ac coelibatum præfert conjugio. *Matth. xix, 3;*  
*Marc. x, 2.*

Ineunte januario, monet discipulos de cavendis  
scandalis, de fide ut grano sinapis, de servo  
arante, etc. *Luc. xvii, 1, 5 et 7.* Mox in februa-  
rio Phariseorum superbiam retundit per parabola  
Pharisei et publicani, qui humiliter confiten-  
s se peccatores, justificatus est præ illo. Item  
per exemplum parvulorum, quos ipse sibi obla-  
tus, manibus impositis, benedixit: « Sinite, in-  
quit, parvulos venire ad me, talium enim est  
regnum caelorum. » *Luc. xviii, 9 et 15; Matth.*  
*xix, 13; Marc. x, 13.*

Adolescentem divitem serventem Dei mandata  
hortatur ad consilium paupertatis Evangelicæ;  
sed ille re tam ardua percussus, resiliit. Unde  
ostendit Christus quam difficile sit divitem sal-  
vari, quaque sapientes sint; qui omnia Dei  
amore relinquunt, ut Christum sequantur, qui-  
bus proinde centuplum et vitam æternam promit-  
titur. *Matth. xix, 23; Marc. x, 17, 23; Luc. xviii,*  
*18, 24.*

Denique per parabolas operariorum diversis  
temporibus conductorum ad colendam vineam,  
docet in celo primos fore novissimos, et novis-  
simos primos; multos enim esse vocatos, paucos  
vero electos. *Matth. xx, 1.*

#### QUARTUS ANNUS

##### PARADICATIONIS, PASSIONIS ET RESURRECTIONIS CHRISTI.

Continens acta ejus a susceptione Lazari usque ad escaenam  
in colum.

Suscipit hæc Lazari contigit paulo ante quartum  
et ultimum Pascha, quo crucifixus est Christus,  
imo ipsa fuit causa vel potius occasio necis  
Christi, ut mox dicam: Christus enim vixit 33  
annos et tres menses, qui a natali ejus excurrunt  
usque ad Pascha. Quare quartus hic prædica-

tionis et passionis Christi annus fuit tantum in-  
choatus, non completus, imo duos tantum menses  
complectitur, scilicet martium et aprilium, ac  
initium maii, quibus omnia illa egit et passus est,  
qua a susceptione Lazari usque ad Ascensionem in  
Evangelis narrantur: Christus enim suscitavit  
Lazarum post initium martii; crucifixus est die  
25 martii; resurrexit die 27 martii; ascendit in  
caelum die 5 maii, anno ætatis suæ 34 inchoato  
per quatuor menses.

Christus Lazarum mortuum quatrduanum in  
Bethania a morte suscitavit, quo miraculo permoti,  
multi in Christum crediderunt: quare invidentes  
ei Pontifices et Pharisei, in concilio cui præerat  
Caiphas, decernerunt eum esse occidendum. Id  
sciens Jesus, secessit ad fines Judææ in urbem  
Ephrem; mox instante Paschate, ascendit Hiero-  
solymam, ac in via edixit Apostolis instare sibi  
crucem et mortem, seque ultro ad illam pergere.  
*Joan. xi, 47, 46, 34, 36; Matth. xx, 17; Marc. x,*  
*32; Luc. xviii, 31.*

Joannes et Jacobus opinantes Christum aseph-  
dere Hierosolimam regni sui ineundi causa, per  
matrem postulant ut in regno hoc post eum pri-  
mas obtineant; sed Jesus pro regno calicem pas-  
sionis eis propinat. *Matth. xx, 20; Marc. x, 35;*  
*Luc. xix, 11.*

Jesus transiens per Jericho, Zachæum publica-  
num se invitante convertit: inde peregrus Hiero-  
solymam, duos caecos, quorum uni nomen erat  
Bartimeus, illuminat, ac ante sex dies Paschæ,  
scilicet die Veneris ante Dominicam Palmarum,  
venit Bethaniam. *Luc. xviii, 35, et cap. xix, 1;*  
*Matth. xx, 29; Marc. x, 46; Joan. xii, 1.*

Ibi postera die, puta Sabbato, in domo Simo-  
nis Leprosi cenat cum Lazaro: Martha minist-  
rat, Magdalena unguentum nardinum in caput  
ejus effundit; id ægre ferens avarus Judas, a Jesu  
corripitur. *Matth. xxvi, 6, 8; Marc. xiv, 3, 4; Joan.*  
*xii, 2, 3.*

Postridie, puta Dominica Palmarum, quæ illo  
anno incidit in diem 20 martii, Bethania abiens  
Bethphage, illic asino vectus, palliis discipulo-  
rum stratis, populo cum ramis palmarum applau-  
dente clamanteque: « Hosanna filio David, »  
quasi triumphans et Messias Hierosolimam ingre-  
ditur; cumque ei appropinquaret, ejus excidium  
prædicens, illacrymavit. *Matth. xxi, 1; Marc. xi,*  
*1; Luc. xix, 29 et 41; Joan. xii, 12.*

Urbem ingressus, primo templo adiit, ex eo-  
que ementes et vendentes ejecit, multosque egros  
sanavit, frendentibus idcirco Phariseis: Gentiles  
excitantur ut eum videant et noscant. Unde vox  
de celo missa Jesum glorificat. *Matth. xxi, 12, 13;*  
*Marc. xi, 15; Luc. xix, 45 et 39; Joan. xii, 20.*

Eadem die, scilicet vespere Dominica Palma-  
rum, urbe egressus, ivit Bethaniam; postero mane,  
nimirum feria 2, sive die Lunæ 21 martii, in ur-  
bem regrediens, maledixit ficui ficibus carenti,  
atque ejecit vendentes et templo: inde cum tota

die docuisset in templo, vespere rursus exivit  
Bethaniam. *Matth. xxi, 17; Marc. xi, 11.*

Postero mane, qui fuit feria 3, sive dies Mar-  
tis, 22 martii, in urbem revertens; cum discipuli  
suum a Jesu maledictam, arefactam mirarentur,  
quanta esset vis viva fidelis et orationis ostendit.  
Inde more suo docens in templo, Phariseos sibi  
obtrepetentes confutat etisque excidium intental.  
Illi, ut eum captiant in sermone, captiosos ei pro-  
ponunt quæstiones de censu, resurrectione et  
mandato maximo, quas omnes ipse prudentis-  
sime resolvit, ac vicissim eis quæstionem de Mes-  
sias Deitate proponens, eisdem os oculosit eorum-  
que hypocrisim, superbiam, avaritiam aliaque  
vitia taxavit. *Matth. xxi, 23, et cap. xxii, 13,*  
*41, et cap. xxiii, 1; Marc. xi, 20, 27, et cap. xii,*  
*13, 15, 38; Luc. xx, 1, 20, 41, 45.*

Mox sedens contra gazophylacium, pauperum  
viduam duo minuta offerentem cæteris offerenti-  
bus prætulit. Egressus templo, ac discipulis fa-  
bricam templi admirantibus, ejus ruinam præ-  
dixit. *Marc. xii, 41, et cap. xiii, 1; Luc. xxi, 5;*  
*Matth. xxiv, 1.*

Templo egressus in montem Olivarum, cum  
discipuli roarent: « Quando hæc erunt, et quod  
signum adventus tui et consummationis sæ-  
culi? » edixit signa consummationis tum urbis,  
tum orbis: diem tantem adventus sui ad judicium  
fore incertum; ideoque unicuique vigilandum  
esse, ut ad eum se comparet, docet variis para-  
bolis: virginum sapientium et fatuarum, servi  
pigri, furis, diluvii Noe. *Matth. xxiv, 3, 36; Marc.*  
*xiii, 3, 32; Luc. xxi, 7, 34.* Denique formam judi-  
cii ultimi graphicè depingit. *Matth. xxv, 31.*

Feria quarta, sive die Mercurii, 23 martii,  
prædixit Jesus se, post biduum, puta in die Pas-  
chæ, crucifigendum. Unde Judas de eo Judæis  
vendendo, cum eis pretio 30 argenteorum pacis-  
citur. *Matth. xxvi, 1, 3, 14; Marc. xiv, 1, 10;*  
*Luc. xxii, 1.*

Feria quinta, sive die Jovis, 24 martii, præ-  
mittit Petrum et Joannem in urbem, ut parent  
Pascha, id est necessaria ad cenam Agni Pas-  
chalis, quos ipse secutus, vespere cum discipu-  
lis cenam Agni celebravit, ac post eam pedes  
discipulorum lavit, et Eucharistiam instituit  
eamque discipulis distribuit. Mox Judæ præditi-  
onem prædixit, ac proditorem signo buccellæ Ju-  
dæ porrectæ, Joanni indicavit: Judas notatum  
se sentiens, egressus est ad scelus periclitandum.  
Contententes rursus de primatu discipulos  
præcepto humilitatis repressit, ac novum dilectio-  
nis mandatum edidit; comprehensionem sibi  
instantem, ac discipulorum fugam, Petroque  
constantiam suam jactanti, trinam negationem  
prædixit; inde mortis discipulis valedicens,  
longum sermonem amore et spiritu æstantem  
tulit, quem S. Joannes ac cap. xiv usque ad xviii  
fere describit; denique eos Patri commendans,  
sinit et valedicit. *Matth. xxvi, 17, 20, 26; Marc. xiv,*

*12, 17, 22, 28; Luc. xxii, 7, 14, 19, 21, 24, 26, 31;*  
*Joan. xiii, 21, 20, 34, 36, et cap. xiv, xv, xvi,*  
*xvii.*

##### SERIES PASSIONIS CHRISTI.

Inde eadem nocte, hymno gratiarum actionis  
dicto, cenaculo et urbe egressus, in montem  
Olivarum oraturus secessit in hortum, ac seor-  
sim coram Petro, Jacobo et Joanne, ex viva  
prehensione instantis passionis cepit pavere,  
tædere, contristari et mortuus esse. Unde orans:  
« Pater mi, inquit, si fieri potest, transat a me  
calix iste; verumtamen non mea voluntas, sed  
tua fiat. » Tandem agoniam subiens, sudavit  
aquam et sanguinem; ideoque ab Angelo confortatus,  
mox ultro se Judæ osculandum, et Judæis  
vinciendum obtulit Petrumque gladium stringen-  
tem cohibuit. *Matth. xxvi, 36, 37, 39, 41, 31;*  
*Marc. i, 14, 27, 32, 33, 34, 47; Luc. xxii, 39,*  
*40, 42, 47, 50; Joan. xviii, 1, 3, 7, 10.*

Vinctus ergo Jesus ductus est primo ad An-  
nam, deinde ad Caipham, illius anni Pontificem;  
cui libere respondens, a satellite census est alapa:  
productis falsis testibus, et ob falsitatem rejec-  
tis, rogatus ipse Jesus an esset Messias Dei Filius,  
cum id assereret, quasi blasphemus damnatur  
et illudatur. Interim Petrus ab ancilla et Judæis  
an Christi foret discipulus interrogatus, ter negavit;  
sed, aspiciente cum Christo, penitens, egressus  
flevit amare. Hæc die Jovis nocte post cenam  
gestastunt. *Joan. xviii, 13, 19, 26; Matth. xxvi, 59, 63,*  
*69, 67; Marc. xiv, 35, 61, 66, 65; Luc. xxii, 56, 63.*

Feria sexta, sive die Veneris, 25 martii, mane  
concilium a Caipha coactum Jesus iterum dam-  
navit, ac plectendum tradidit Pilato, Romanorum  
presidi. Id videns Judas ac desperans, laqueo  
se suspendit, projectis prius in templo argenteis,  
quibus Judæi emerunt agrum pro sepeliendis  
peregrinis. *Luc. xxii, 66, et cap. xxiii, 1, 2; Matth.*  
*xxvii, 1, 3, 6; Marc. xv, 4; Joan. xviii, 28.*

Pilatus Jesum, licet a Pontificibus damnatum,  
ab eis sibi traditum damnare renuit, nisi cognita  
ejus causa. Assensus ergo eum quod se Regem  
Judæorum fecerit, ac tumultum concitavit a Ju-  
dæa usque in Galilæam. Pilatus ergo rogat Jesum  
an vere Rex sit Judæorum? Asserit ille, sed addit  
regnum suum esse cælestem, non mundanum, a  
quo proinde sibi timere non debebat Tiberius  
Cæsar ejusque pressus Pilatus, æque innocentem  
et sanctum esse Jesum Pilatus agnoscens, variis  
modis eum absolvere et dimittere satagit. Primo  
enim audito nomine Galilææ, rogat an Jesus sit  
Galilæus? quo cognito, eum ad Herodem, Galilææ  
regem, quasi illi subditum amandat, atque hoc  
honore ei reconciliatur. Herodes a Jesu signa et  
mirabilia expectans, cum nil tale videret, eum  
veste alba indutum spernit et ad Pilatum remit-  
tit. *Joan. xviii, 29, 33; Luc. xxiii, 2, 6, 8;*  
*Matth. xxvii, 11; Marc. xv, 2.*

Secundo, Pilatus Jesum ad se remissum liberare

laborat, componens eum cum Barabba, seditioso homicida, ut de more in Paschate unum a morte liberatum, Jesum elegant et liberent: at illi, Pontificum suggestu, Barabam liberari postulatum, Jesum vero crucifigi. *Math. xxvii, 18; Marc. xv, 6; Luc. xxiii, 17; Joan. xviii, 39.*

Tertio, Pilatus videns Judeorum in Christum rabiem, ut eam sedet, jubet eum flagellari, ac flagellis deformatum, et corona spinea vesceque purpurea, velut fictum pictumque regem, illum Judæis spectandum exhibet, ut tam afflicti miserentur: at illi crudeliores effecti, contentis vocibus postulant eum crucifigi, minanturque Pilato illum non habendum amicum Cæsaris, si Jesum, qui se regem fecit, impune dimittat. Quare Pilatus, lotis manibus, innocentiam Jesu testatus, Judæis suclamantibus: «Sanguis ejus super nos et filios nostros,» eum Judæis crucifigendum tradidit, licet paulo ante ab uxore monitus esset ne se morti viri tam justis immiseret. *Math. xxvii, 19, 23, 26; Marc. xv, 13, 16; Luc. xxiii, 15, 20; Joan. xix, 1, 7, 13, 15.*

Educitur ergo Jesus e pretorio in montem Calvarie crucem suam humeris gestans, quam Judæi in exitu portæ verentes ne Jesus illi succumberet, Simoni Cyrenæo post Jesum bajulandam imponunt. Sequuntur mulieres pie plangentes, quas Jesus super seipsas et filios suos plangere jubet, ob imminens arbi Deicide excidium. *Math. xxvii, 31, 32; Luc. xxiii, 28, 26, 27; Marc. xv, 21.*

Ut ventum est in montem Calvarie, Judæi Christo propinquant vinum felle mixtum, et deinde myrrhatum; neutrum ipse bibere voluit: mox vestibus spoliatus, et humi in crucem stratus, eidem clavis affixus, ut hora sexta, puta in meridie: crux deinde erecta est cum titulo causæ, atque ab utroque ejus latere fuere suspensi duo latrones, quasi ipse esset princeps. Denique in conspectu ejus milites vestimenta inter se partiti sunt. *Math. xxvii, 34, 35, 37, 38, 39; Marc. xv, 23, 24, 26, 27; Luc. xxiii, 32, 33, 34, 38; Joan. xvi, 18, 19, 23.*

Principes et populus Jesu crucifixo insulant et conviciantur; illo pro eis orat Patrem. Eidem conviciatur latro a sinistris pendens, quem alter reprehendit, Jesumque Messiam confessus deprecatur, ideoque a Jesu audit: «Hodie mecum eris in paradiso.» *Math. xxvii, 39; Marc. xv, 29; Luc. xxiii, 39, 43.*

Matrem deinde S. Joanni commendat. A Patre se derelictum queritur. Clamat: *Sitio*; quare aceto potatur, ac tandem vociferatur: *Consummatum est*. Denique in manus Patris commendans, spiritum suum emittit circa horam nonam. Interea sol obscuratur, terra concutitur, petre scinduntur, monumenta aperiuntur, velum templi scinditur, ut omnes creature Creatoris sui mortem lugere et deplorare videantur; quibus comotus Centurio, multique e populo spectante

percutsi sunt, et tundentes pectora, domura reversi. *Joan. xix, 28, 28, 30; Math. xxvii, 45, 46, 49, 51; Marc. xv, 33, 34, 37, 39; Luc. xxiii, 44, 46, 47.*

Mortuo Jesu, Judæi latronum adhuc viventium, ut cito morentur, crura fregērunt; Jesu vero minime, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, ex quo manavit sanguis et aqua: mox de cruce depositum Christi corpus et unguentis delibutum, honorifico a Josepho ab Arimathea et Nicodemo sepelitur; denique sepulcro custodes a Pilato apponuntur, ac sepulcri os lapide clauditur et obsignatur. *Joan. xix, 31, 38; Math. xxvii, 57, 62; Marc. xv, 42; Luc. xxiii, 50.*

#### SERIES RESURRECTIONIS CHRISTI.

Jesus, die tertia a morte sua, scilicet die Dominica, que fuit 27 martii, e sepulcro gloriosus resurrexit ante auroram, ac lapidem quo sepulcrum claudebatur, per dotem subtilitatis penetrans exivit: lapidem deinde removet Angelus, ac custodes exterruit et in fugam compulsi, ut mulieres ventura sepulcrum ingredi possent. Quare mulieres, que emerant et paraverant unguenta ad corpus Jesu unguendum, cum die Dominica summo mane ad sepulcrum venissent, sepulcrum apertum, et corpore Christi sublato, ejus tantum lintamina repererunt, ac ab angelis audierunt Christum resurrexisse. Id ipse illico nuntiavit Apostolis, mox Petrus et Joannes concurrerunt ad sepulcrum, secute sunt eos mulieres cum Magdalena. Petrus et Joannes, visis tantum Christi lintaminibus, admirantes redierunt domum: secute sunt eos rursum mulieres; sola Magdalena, hærens ad sepulcrum et plorans, meruit prima videre Jesum specie hortulani. at non agnovit; sed audiens ab eo: MARIA, illic cognovit. Mox secuta mulieres, eis narravit se vidisse Jesum, et ecce Jesus omnibus occurrit obvius, dicens: *Avete*. Hæc est prima Christi resurgentis apparitio, que in Scriptura extat, facta Magdalene et mulieribus. *Math. xxviii, 1, 2, 3, 9; Marc. xvi, 3; Luc. xxiv, 1, 3, 4; Joan. xx, 1.*

Mulieribus testantibus Jesum resurrexisse, cum non crederent Apostoli, secundo apparuit Jesus Petro. *Luc. xxiv, 34.*

Tertio, eadem die, puta Dominica qua resurrexit, apparuit Christus duobus discipulis euntibus in Emmaus, ac vespere in mensa ex fractione panis ab eis fuit agnitus. *Luc. xxiv, 13; Marc. xvi, 12.*

Quarto, eadem die et vespere, apparuit undecim discipulis in cenaculo, absente Thoma, eisque se palpandum exhibuit, ac eum eis manducavit deditque potestatem remittendi peccata. *Marc. xvi, 14; Luc. xxiv, 36; Joan. xx, 19.*

Quinto, apparuit iisdem octava die, scilicet die 3 aprilis, presente jam Thoma, eique vulnerum cicatrices videndas palpandasque præbuit, quare Thomas, jam credens resurrexisse, exclamat: «Dominus meus, et Deus meus.» *Joan. xx, 24.*

Sexto, apparuit in littore septem discipulis piscantibus in mari Tiberiadis, ab eisque ex ingenti piscium captura fuit cognitus. Ibidem Petro dixit: «Pascere oves meas.» *Joan. xxi, 1.*

Septimo, apparuit Apostolis cæterisque fidelibus in monte Gallilee, quom eis jam ante designarat ibique jussit eos evangelizare omnes gentes, ac Evangelium miraculis confirmare. *Math. xxviii, 19.*

Denique quadragesimo a resurrectione die, puta die 5 maii, illos educens in montem Oliveti, docens et instruens, promittensque Spiritum sanctum in Pentecoste, data benedictione, in celum gloriosus ascendit, sedetque ad dexteram Dei, atque inde Ecclesiam suam gubernat, ac sensum illam carpit et ad se colligit. *Marc. xvi, 19; Luc. xxiv, 50, 51.*

## CANONES

QUI

### FACEM EVANGELIIS ET EVANGELISTIS PRÆFERUNT.

PRIMUS. Evangelistarum scopus et propositum fuit, non omnia dicta factaque Christi enarrare (hoc enim prolixum fuisset et pene impossibile), sed pauca et multis, præcipua e communibus scilicet, ut per ea doctrinæ et vitæ Christi imaginem, et quasi ideam nobis proponerent, uti discrete assertit S. Joannes in fine Evangelii: nimirum ut ostenderent Jesum, beate Mariæ filium, esse Christum, sive Messiam in lege et Prophetis olim promissum, et nunc ad homines a peccato, morte et inferno redimendos missum; ipsumque non esse merum hominem, sed verum Deum verumque hominem. in una persona Filii Dei subsistentem, ac consequenter in Christo attributa Dei attribuenda pariter esse homini; et que hominis sunt danda esse Deo per communicationem idiomatum, ut Deus dicatur natus, crucifixus, mortuus, quia hic homo, puta Jesus, qui simul erat Deus, natus crucifixus et mortuus est pro hominum salute.

SECUNDUS. Hac de causa sæpe non servant ordinem temporis in recensendis Christi dictis et factis; multa etiam silet unus que alii expriment, et tamen sic suam continuat et prosequitur narrationem, quasi nihil sit omissum, ut patet in apparitione Christi post resurrectionem facta mulieribus, quam valde diversimode narant. Quocirca disparatas non raro jungunt sententias, parabolas, sermones, que nullum inter se habent nexum vel ordinem, sed alio tempore, alia occasione et de alia materia dictæ sunt a Christo.

TERTIUS. Evangelistæ, ne omnino idem dicere videantur, verbis discordant, sed sensu concordant. Inter se ergo conferendi sunt Evangelistæ illi qui idem Christi factum dictumve narant (qui proinde in Bibliis ad marginem adnotari solent), ut ex omnium collatione plena rei historia colligatur: sicuti contrarium dicere vi-

deantur, conciliandi sunt, quod aliam et aliam circumstantiam temporis, loci, personarum, etc., ab aliis omissam spectarint, juxta illud: *Distingue tempora, et concilietur jura*. Præclare S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evang.*, cap. xxviii: «Per hujusmodi, inquit, Evangelistarum locutiones varias, sed non contrarias, rem plane utilissimam discimus et pernecessariam: nihil in cujusque verbis non debere inspicere, nisi voluntatem cui debent verba servire; nec mentiri quemquam, si aliis verbis dixerit, quod ille voluerit, cujus verba non dicit: neque miseris aucupes vocum apicibus quodammodo litterarum putent ligandam esse veritatem, cum utique non in verbis tantum, sed etiam in cæteris omnibus signis animorum, non sit nisi ipse animus inquirendus.»

QUARTUS. Christus præcos sequens sapientes et ethnicos, præsertim Hebræos, doctrinam Evangelicam de moribus per breves gnomas et disparatas sententias tradidit, uti fecit Salomon in Proverbiis, et Siracides in Ecclesiastico. Quare in his frustra queritur connexio, ut patet in sermone Christi habito in monte. *Math. v, et seq.*

QUINTUS. Christus eandem sententiam, præsertim si sit proverbium, pluries, et ad plura diversaque proposita accommodat. Exemplum est *Math. v, 13*, ubi per h. e. proverbium: «Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt,» Christus docet Apostolos debere publicum dare omnibus virtutis exemplum; unde illud huic applicat, cum illico subjicit: «Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra et glorificent Patrem vestrum, qui in celis est.» *At Luc. viii, 17, et Marc. iv, 21*, Christus per hoc idem proverbium docet Apostolos Evangelium non abscondere, sed publice omnibus predicare debere; unde subdit:

« Non enim est occultum quod non manifestetur, nec absconditum quod non cognoscatur. » Generice ergo hoc proverbium : « Lucerna ponenda est super candelabrum, » significat doctores ceteris omnibuscum verbo quam exemplo sancte vite prædicare debere. Aliud : Christus, *Matth. xviii, 24*, per hoc proverbium : « Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum, » probat Apostolos non debere esse melioris conditionis quam ipse sit, nec honorem et laudem debere expectare a mundo, a quo ipse accepit vituperium; unde subjicit : « Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus! » *At Joann. xiii, 16*, per hoc idem probat Apostolos sibi invicem debere servire et lavare pedes, cum ipse illis eosdem laverit. « Exemplum enim, inquit, dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. » *Luc. vero xvi, 40*, per hoc idem probat discipulum non esse doctorem et meliorem magistro : quare si magister sit cæcus, indoctus et vitiosus, non debere sperare discipulum suum fore oculatum, doctum et virtute præditum. Igitur hoc proverbium : « Non est discipulus super magistrum, » generice accipiendum est, ut significet discipulum magistro; nec honore, nec commoditate, nec gloria, nec doctrina, nec virtute, etc., esse superiorem.

Sextus. Christus, quia cardiagnostes et cordium inspector, magis ad mentem et sensa interna eorum qui secum agebant, quam ad interrogationes et verba externa sermonem suum attemperat et accommodat, ait S. Chrysostomus in *Matth. ix, 3*, ubi clarum in se extat exemplum : « Et ecce quidam, ait S. Matth., de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphematur. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? » *Et cap. xii, 23*; cum Pharisei intra se cogitarent : « Ille non efficit demonia, nisi in Beelzebub, » subdit Matth. : « Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis, » etc.

Septimus. Deitas una prædicatur in lege a Mose; Dualitas personarum a Prophetis; Trinitas a Christo in Evangelio. Moses enim dicit : « Audi, Israel : Dominus Deus noster, Dominus unus est. » *Deuter. vi, 4*. Propheta prædicant et prædicant Patrem missurum Filium in mundum pro salute hominum. Christus vero ait : « Docte omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » *Matth. xviii, 19*. Non quod in lege et Prophetis S. Trinitas negetur, sed quod modo præponatur, sed quod raro, tenuiter et obscure prædicetur; in Evangelio vero crebro, diserte et clare. Ita S. Epiphanius, *heresi, 74*, post medium : « Deitas una, inquit, in Mose maxime denuntiatur; Dualitas in Prophetis vehementer prædicatur; Trinitas autem in Evangelio manifestatur, amplius juxta temporum occasiones, ac generationes conveniens justo in cognitio-

nem et fidem. » Sensim enim in mundo, Deo plura revelante Prophetis et Apostolis, crevit fides, et cognitio Dei et sanctæ Trinitatis, sicut sol crescit ab aurora caligine, usque in clarum lucem meridiei. *II Petr. i, 19*.

Octavus. In Christo, ait S. G. « gloriosus Nazianzus ad Cleodonium, est aliud et aliud, scilicet alia natura divina, alia humana. In S. Trinitate vero est alius et alius, quia in ea sunt tres hypostases, sive personæ, puta Pater, Filius et Spiritus sanctus, quæ tamen in essentia sunt unum, scilicet una deitas. »

Noxus. De Deo Patre sæpe dicitur, quod ipse sit Deus unus aut solus, ut *Joan. xvii, 3* : « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti, Jesum Christum, » supple et repete, esse solum Deum verum. Vox enim solus hic non excludit Filium et Spiritum sanctum, sed idola et falsos gentium deos, qui diversæ a Deo Patre sunt nature; Filius autem et Spiritus sanctus ejusdem sunt cum Patre nature divine, ideoque idem cum eo Deus, qui unus duntaxat est et solus, non multi vel plures : ita S. Chrysostomus, *hom. 72 in Matth.* « Quando inquit, in Scriptura, sive veteri, sive nova, dicitur unum esse Deum, et præter unum alium non esse, non ad exclusionem Filii, sed ad exclusionem dictum est idolorum. » Sic et S. Hieronymus, in *Isaiæ cap. xliii*, ante medium; Nazianzus, *orat. 4 de Theolog.*; S. Augustinus, *lib. de Spiritu et Lettera, cap. xxxiii*, et passim Theologi.

Decimus. Christus certam habet futurorum quorumlibet cognitionem et prescientiam; addit tamen subinde adverbium dubitandi forte, vel forsitan, non ut rem in se vel sibi dubiam et incertam significet, sed ut ostendat rem futuram esse contingentem non necessariam, eamque subjacere libero hominum arbitrio, ut homines, dubii et incerti de sua perseverantia et salute, magis sint solliciti et studiosos anim curent. Forte ergo non tollit Dei prescientiam, sed notat rei contingentiam et arbitrii humani libertatem, cujus tamen electionem futuram determinat et certo prescit, ac per immensitatem acie mentis sue prævidet Deus. Quare libertas non repugnat prescientiæ Dei, nec prescientia tollit homini libertatem, quia natura posterior est re prævisa et libere ab homine electa. Ideo enim, ut recte ait Damascenus, prescit Deus Petrum, et peccatorem, quia Petrus libere voluit peccare; non vero ideo peccabit, quia Deus prævidet eum peccatorem : sicut quia ambulo, hinc Deus videt me ambulatorem, non vero e contrario, quia Deus videt me ambulatorem, idcirco ego ambulo. Forte ergo significat rem non necessariam, sed casu et quasi per sortem evenire, si causas secundas et hominis libertatem spectes; Deo enim nihil est fortitum, sed omnia certo prævisa. Id ita esse patet ex textu græco, qui pro forte habet et, quæ particula expletiva est, et confirmans, non du-

bitantis, significans sane, certe. Sic Christus ait de Capharnaï : « Quia si in Sodomis facta fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte (Græce et, id est certe) mansissent usque in hanc diem. » *Matth. xi, 23, q. d.* : Si in Sodomis facta essent miracula quæ ego feci in Capharnaï, utique Sodomitæ penitissent, et penitentia Deum placantes, excedium per conflagrationem evasisset (1).

Undecimus. Christus aegros sanans, sæpe sanitatem, sive salutem anime et corporis tribuit fidei, dicens : « Fides tua te salvum fecit, » ubi fidem non solam et nudam intelligit, uti volunt heretici, sed fidem charitate vestitam, ac per actus spei, penitentiam, amoris, etc., operantem, ut patet in penitentia Magdelene, quæ ex dilectione et contritione ardentissima in publico convivio lacrymis lavans pedes Christi, capillis tergens, ore osculans, audire ab eo meruit : « Remittitur tibi peccata, » etc. « Fides tua te salvam fecit. Vade in pacem. » *Luc. vii, 48* et seq. Nominal tamen solam fidem, tum quia initio prædicationis ejus maxime necessaria erat fides in ipsum, quod scilicet ipse qui exterius videbatur pauper, vilis et despectus, esset verus Messias, orbis doctor et redemptor; tum quia fides principium et radix est spei, penitentiam, charitatis cæterarumque virtutum. Quare Christus, et ex eo Paulus, sub fide ut principio omnia dona et virtutes, quasi fructus in arbore et radice intelligit per metonymiam; fidem enim opponit, non charitati et gratiæ, sed legi veteri et nature viribus, idque ut ostendat necessitatem fidei et gratiæ suæ, quæ initium est justificationis et salutis. Ita S. Augustinus, *lib. de Fide et Operat., cap. xiv*, et Concil Trident. sess. 6, cap. viii.

Duodecimus. Verba apud Hebræos actum nunc inchoatum, nunc continuatum, nunc perfectum et consummatum significant, ut : « Beati pauperes spiritus, quoniam ipsorum est regnum colorum; Beati miles, quoniam ipsi possidebunt terram. » *Matth. v, 1*. Beati, scilicet inchoative, sive in spe, sed nequid in re, quia nimirum sunt in via quæ tendit et ducit ad beatitudinem æternam. Continuatum, ut cum per miraculum conversionis aquæ in vinum in Cana Gallææ, discipuli dicuntur credidisse in Jesum, *Joan. ii, 21* : credidisse, id est in credendo confirmati fuisse. Jam ante enim in eum crediderant, utpote ejus sequaces et discipuli. Consummatum, ut cum, *Joan. xx, 17*, Jesus ait Magdalene : « Noli me tangere, » id est noli in hoc factu mei herere et desidere, sed vade prope, et nuntia Apostolis meis de morte mea moestissimis me jam restituisse. Et : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, » *Marci. xvi, 16*, scilicet qui crediderit perfecte, non tantum corde et ore, sed et

opere, ut ea quæ corde credit, ore confiteatur et opere exequatur, idque continue et perseveranter usque ad finem vite. Si enim quis, postquam crediderit, a fide apostataret, aut scelerate viveret, licet utique non salvabitur, sed damnabitur.

Decimus tertius. Affirmantes propositiones, præsertim quæ continent promissiones, benedictiones, beatitudines, præmia, etc., sæpe intelligentæ sunt non absolute et universales, sed commode et cum exceptione, scilicet, ut significant virtutem et naturam rei, quantum est ex parte ipsius, nimirum rem esse talem, quæ ad tantum premium bonumve hominem perducere nata sit, nisi quid aliud impediatur, aut si cætera requisita adsint. Sic dicit medicus ægro : « Hæc medicina sanabit te, » id est potens est et nata curare tuam ægritudinem, scilicet, nisi ejus operatio aliunde ut per tuam interemptionem vel imprudentiam impediatur. Sic Christus salutem æternam rursus tribuit fidei, *Joan. iii, 14*; *Rom. i, 22* et seq., quia, scilicet fides, quantum est ex parte sua, nata est perducere hominem ad sempiternam, penitentiam, charitatem et salutem, nisi ipse hanc ejus operationem sua malitia vel pigritia impediatur et occidat. Aliquando vero salus tribuitur invocationi Dei, ut *Joan. ii, 32* : « Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit, » scilicet si cætera requisita adsint; nam alibi salus tribuitur charitati, spei, timori, penitentiam et bonis operibus, ut *Luc. vii, 47*; *I Cor. xiii, 2*; *Isaiæ xi, 31*. Alioqui enim, nisi adhibeatur moderatio, concluditur pari modo nec sacramenta requiri, et eum qui semel crediderit salvum fore, etiamsi postea fiat infidelis.

Negatives vero propositiones absolute, et sine alia superaddita conditione intelligendæ sunt, ut : « Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces. » *Rom. xiii, 9*.

Decimus quartus. S. Matthæus maxime doctrinæ et verbis Christi ad mores hominum recte formatos idoneis fuisse ordinateque recensendis insistit; Lucas vero magis factis gestisque Christi inheret. Marcus Matthæi est abbreviator, et subinde interpres. Joannes maxime divinitatem Christi astruit, ut per quæ cum Scribis et Phariseis disputationes et miracula ostendat Christum vere esse Deum, Deique Filium, idque contra Cerinthum et Ebionem, similesque hæreticos jam tum subnascentes, qui debebant Christum merum esse hominem illumque Deum esse negabant.

Decimus quintus. Christus, Apostoli et Propheta res spirituales et divinas per corporales et humanas explicant, quia aliter eas homines capere non possent. Quidquid enim homo mentis concipit, idipsum prius per sensum aliquem cognovit, juxta illud Aristotelis : *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*. Quia ergo Deum et divina, uti sunt in se, imaginari

(1) In hujusmodi exemplis et nec forte, nec certe significat, sed simpliciter verbo cui conjungitur vim tribuit nostri conditionalis.

nequimus; hinc per imagines rerum corporearum ea adumbrat, et hominibus representat Christus: « Neque enim aliter, » ait S. Dionysius, cap. I *Celest. Hierar.*, sub medium, « fas erat infirmitati nostrae lucere divinum radium, nisi sacrorum varietata velaminum (quibus ad superiora ferremur) opertum et his que nobis familiaria sunt, providentia paterna nature mortalium sese accomodante, vestitum. » Hinc de causa, S. Scriptura Deo dat caput, manus, thronum, arma, item situs et passiones, ut sedere, stare, volare, irasci, misereri, tristari ἀποκαταστασεως, qua de re S. Augustinus scripsit librum *De Essentia Divinitatis*, et Eucherius Lugdunensis tract. *De Forma Verborum spiritualis intelligentia*, et Damascenus lib. I *De Fide*, cap. xiv. Sic Christus tropice vocatur leo, agnus, ostium, lux, vitis. Sic vita eterna vocatur denarius, thesaurus, nuptiæ Agni, cena magna, mensa Christi, rogamus celorum, etc. Sic Angeli in Scriptura pinguntur quasi juvenes alati. Preclare S. Augustinus, lib. *Contra Adimantum*, cap. vii: « Sacra Scriptura, inquit, verbis nostris loquens, etiam per hæc verba demonstrat nihil digne de Deo posse dici. Cur enim non etiam verba ista dicantur de illa majestate, de qua quicquid dictum fuerit, indigne dicitur, qui omnes opes linguarum omnium ineffabili sublimitate præcedit. »

**DECIMUS SEXTUS.** Attributa Dei, ut bonitas, sapientia, omnipotentia, præscientia, providentia, justitia, misericordia, sanctitas, etc., que res ipsa idem sunt cum simplicissima Dei natura, ideoque una quedam res sunt, unaque essentia singularis et individua, S. Scriptura effert pluraliter et in numero plurali, ut significet plures et jusque attributi vires et effectus, imo et affectus, qui in hominibus et Angelis sunt varii et multiplices, sed in Deo ununtur unumque sunt cum deitate. Exempla accipe: « Miserationes ejus super omnia opera ejus. » *Ps. xviii, 9.* « Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. » *Ps. cx.*

**DECIMUS SEPTIMUS.** Si Christus, Propheta et Apostoli facinus aut flagitium sua voce jubere ut consilere videntur, illa vox non proprie, sed figurate et mystice accipienda est. Tale quoque est omne id quod impossibile, aut quod ad morum honestatem, vel fidei veritatem, vel ad sacramenta proprie referri non potest, ut: « Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum et projice abs te, » etc. « Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te. » *Matth. xviii, 8.* Quod literaliter accipiens Origenes castravit seipsum, ut tentationes libidinis evaderet; sed perperam, non enim licet seipsum mutilare: quare hæc sententia non ad litteram, ut sonant, sed figurate accipiendæ sunt, ut per manum, pedem, oculum, accipias amicum, familiarem, cognatum, etc., qui tibi instar manus, oculi, pedis, inservit et opitulatur; hic enim si

te scandalizat et ad hæresim, libidinem alitudo scelus pellicit, omnino a conversatione tua abscindendus et abjiciendus est. Cum vero nullum scelus aut flagitium jubet Christus, tunc proprie, ut sonat, id quod dicitur intelligendum est, ut cum ait: « Hoc est corpus meum, » etc. « Hic est sanguis meus. » *Matth. xvi, 26.* Nec enim carnem Christi in Eucharistia laniamus, aut sanguinem cruentum vel patentem potamus, uti intelligebant et horrebant Capharnaïta, sed utrumque sub speciebus panis et vini intactum et latentem instar Angeli sumimus, qua in re nullum est flagitium nullusque horror.

Tradit hunc canonem S. Augustinus, lib. III *De Doctr. Christ.*, cap. xix: « Quidquid, inquit, in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscat. Morum honestas ad diligendum Deum et proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum et proximum pertinet. » Et cap. xvi: « Si præceptiva locutus est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium vel facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. »

Idem *De catechizandis Rudibus*, cap. xxv: « Hoc autem breviter discet, ut quicquid audivit ex libris canonicis quod ad dilectionem æternitatis, et veritatis, et sanctitatis, et dilectionem proximi referri non possit, figurate dictum vel gestum esse credat, atque ita conetur intelligere, ut ad illum gominam referat dilectionem. » Eundem canonem tradit Origenes IV *Periarchon*, cap. ii.

**DECIMUS OCTAVUS.** Hebræorum mos est ut antecedentia et causas taceant, ac consequentia et effectus enarrent, aut vice versa ex causis quas recensent, effectus quos subicient intelligendos relinquant. Sic *Joan.*, cap. i, 43, ait: « In crastinum voluit exire in Judæam, et invenit Philippum. Et dicit ei Jesus: Sequere me, » ubi ex *invenit*, intelligendum relinquitur quod Christus jam ante quaesierit Philippum, *q. d.*: Ideo Jesus ivit in Galileam, ut quaereret Philippum; illum enim jam animo destinavit vocare ad apostolatam, unde invenit eum quem quaerebat, et vocavit, dicens: *Sequere me.* Sic, cap. xvi, 14, ait: « Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum, » ubi ex *invenit* intelligitur jam ante quaesisse eum. Nam, ut ait *Matth.*, cap. xxi, 2, Jesus præmisit duos discipulos in castellum vicinum ut asinum quaerent et ad se adducerent. Non ergo casu, sed studio quaerendi eum invenit. Pari modo, ex responsione colligendam relinquitur præviam interrogationem. Sic *Joan.*, cap. i, 20, ait Judæus misisse legatos ad Joannem Baptistam, interrogans: « Tu quis es? » respondit Baptistam: « Non sum ego Christus; » ex qua responsione intelligitur Judæos interrogasse eum: « Tunc es Messias, sive Christus? » Sic, cap. iii, 2, ait: « Ppondit Jesus (Niodemus) et dixit ei: Amen,

disco tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. » Ex qua responsione colligitur Niodemum prius interrogasse Jesum qua ratione posset salutem et regnum Dei consequi; sed hanc interrogationem subiecit Joannes. Subinde tamen respondere apud Hebræos idem est quod ordiri sermonem, etiam nullius præcesserit interrogatio. Sic apud Græcos; unde illud ab Homero toties iteratum:

Τὸν δ' ἀποκρίσθαι, προτίθη τῶνδ' ὄντας Ἀχιλλεύ,

id est, « huic respondens, locutus est pedibus celer Achilles, » quod usurpat, etiam cum nemo Achillem interrogat.

Simili modo silent nonnulla que tamen dicta esse vel ipsi postea, vel alii dicunt aut insinuant. Sic *Joan.*, cap. vi, 36, ait Jesus: « Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non creditis; » ubi et quando id dixerit Jesus, Joannes nusquam expressit, uti notat S. Chrysostomus. Sed ex hoc loco eum id dixisse constat. Sic *Joan.* xi, 23, Martha ait Magdalene: « Magister adest, et vocat te, » cum tamen de hac vocatione antea nulla facta sit mentio in colloquio Marthæ cum Jesu, sed contentus fuit Joannes illam hoc loco duntaxat per Martham insinuare, uti notant SS. Cyrillus, Chrysostomus et Leontius. *Ibid.*, 40, ait Jesus Martæ: « Nonne dixi tibi, quoniam si crederis, videbis gloriam Dei? » puta gloriam suscitationem Lazari fratris tui, cum tamen ubi et quando id dixit Jesus nunquam ante expresserit Joannes.

**DECIMUS NOVUS.** Hebraismo sæpe verbum ponitur sine supposito, maxime apud S. Marcum, quasi hoc ex circumstantiis, puta ex antecedentibus et sequentibus facile intelligi et suppleri possit. Sic, cap. iv, 26, ait Marcus: « Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciatur sementem in terram, et dormiat, et exurgat, nocte et die: » dormiat scilicet homo, exurgat, scilicet sementis; unde explicans, subdit: « Et (significat id est) semen germinet et inerescat, dum nascitur ille. » *q. d.*: Sicut, dormiente homine seminante, sementis ipsa exurgit, crescitque die ac nocte; sic, Christo in cælis quiescente et quasi dormiente, crescit et propagatur assidue Evangelii prædicatio et doctrina: ita explicant S. Hieronymus, Beda et Glossa, licet aliter planius interpretentur S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, ut suo loco dicam. Et cap. ix, 49: « Omnis enim (supple qui Deo et Christo servire, et se quasi victimam offerre cupit) igne (tribulationis) salietur. » Unde explicans, subicit: « Et omnis victimam sale salietur. »

Vigesimus. Solet in Evangelio et Scriptura integer numerus exprimi, etiam aliquid illi desit aut supersit: sic numerantur discipuli Christi 70, cum præcisè fuerint 72. S. Augustinus in *Quest. Evangel.*, quæst. XLVII. « Rursum in eo solet poni numerus definitus pro indefinito. Sic Christus re-

linquentibus omnia et se sequentibus promittit centuplum. » *Matth. xix, 29*, quod *Lucas*, cap. xviii, 30, explicat, dicens: « Recipiet multo plura. »

Vigesimus PRIMUS. Christus, ex phrasi Hebræorum, solet comparationem duorum exprinere per affirmationem majoris et negationem minoris; id enim quod majus est et præcessit, affirmat, quod vero minus et inferius est, negat. Quare per negationem tunc non proprie dictam negationem significat, sed tantum id quod negatur, minus esse altero, aut certe ipsum non esse solum in hoc genere indicat, ut: « Misericordiam volo, et non sacrificium, » *Matth. ix, 13*; hoc est, misericordiam malo et præfero sacrificio: alioqui certum est sacrificium quoque ipsi placere et gratum esse in suo ordine et gradu, puta post misericordiam. Sic *Luc. x, 20*, ait Christus Apostolis: « Nolite gaudere, quia spiritus vobis subiciuntur: gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælis, » id est, plus gaudete quod scripti sitis in cælis, quam quod demones vobis subiciantur; nam et de hoc suo modo et gradu gaudendum est. Sic *Luc. xii, 44*, ait Christus: « Qui credit in me, non credit in me (scilicet solum, vel præcipue), sed in eum qui misit me. » *q. d.*: Talis non tantum credit mihi homini dicenti et loquenti, sed multo magis credit Deo Patri, qui me quasi legatum suum misit.

Vigesimus SECUNDUS. Cavenda in S. Scriptura explanatione nimia subtilitas et argutia, etque ac plana nimiaque crassities et ruditas. Unde S. Hieronymus, in cap. xvii *Matth.*: « Prudentem, inquit, semper admoneo lectorem, ut non superstitionis acquiescat interpretationibus, et que commatice pro fingentium dicuntur arbitrio, sed consideret priora, media et sequentia, et nectat nisi universa quæ scripta sunt. » S. Scriptura ergo inter se collata et composita, optima sui ipsius est interpretes.

Vigesimus TERTIUS. Evangelicæ verba ludunt in verbis elegantie causa, ac idem verbum vel nomen statim aliter et aliter accipiunt, maxime cum ex sensu literali ad allegoricum, vel analogicum assurgunt. Sic Christus ludit in voce *mortuus*, dicens: « Sequere me, et dimitte mortuos (spiritualiter) sepelire mortuos (corporaliter) suos. » *Matth. viii, 22.* Nec enim mortui corporaliter possunt alios mortuos sepelire, ut patet. Sic *Joan.*, cap. ii, 23, 24, ludit in verbo *credo*, dicens: « Multi crederunt in nomine ejus, videntes signa ejus que faciebat; ipse autem Jesus non credebatur semetipsum eis. » *Trius enim crediderunt* notat fidem divinam, posteriori vero *crediderunt* notat fidem humanam, sive fiduciam. *q. d.*: Jesu non confidebat eis, quia, licet videret eos credentes in se, tamen sciebat eos multabiles et facile a Scribis posse perverti; unde non diu, nec secure versatus est cum eis. Ita S. Chrysostomus. Sic Paulus ludit in voce *peccatum*, II *Cor. v, 21*: « Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum

fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso. » Ubi peccatum priori loco proprie accipit, posteriori vero metonymice, ut significet hostiam pro peccato. *q. d.* : Deus Christum innocentem et ab omni peccato immunem, fecit peccatum, id est hostiam pro peccato, ut nos a peccato liberaret et justificaret.

VIGESIMUS QUARTUS. Palestinis et Syris (qualis erat Christus) familiare est uti parabolis, proverbii et tritis catachresibus, ut suavis in animos audientium influant: quia de causa Christus toties utitur parabolis easque multiplicat, ut patet *Matth.* XIII. Ita etiamnum Romæ audivimus Maronitas, qui Syri sunt et incolæ montis Libani, ea que dicunt illico allatis similitudinibus et parabolis venustare. Audi S. Hieronymum in cap. XVII *Matth.*, 23: « Familiare est Syris, et maxime Palestinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplorum teneatur. »

VIGESIMUS QUINTUS. Christus coram nasutis et criticis, quales erant Scribæ et Pharisei, parabolis utitur ambiguis et obscuris, tum quia ipsi indigni erant eas intelligere, tum quia querebant Jesum capere in sermone, accusare et occidere; seorsim vero discipulis et amicis suis easdem interpretabatur, ut disertè patet *Matth.* XIII, 41, et VII, 6. « Nolite, ait Christus, sanctum dare canibus, neque mittis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos. » Hoc factitavit Aristoteles, dum libros suos ita tecte et involute scripsit, ut ab emulis carpi confutarique nequeant: unde ipse libros *De Physico Auditu* ad Alexandrum scribit, fuisse conscriptos et non fuisse conscriptos, eo quod maximis ambiguitatibus et obscuritatibus, quibus ipse quasi sepia se involvit et obtegit, constat.

VIGESIMUS SEXTUS. Sensus litteralis parabolæ non est in quem voces prima facie ostendunt, sed qui per res vocibus significatas designatur: prior vocum sensus est grammaticalis, qui litteræ corticem, puta verba vocesque explicat; posterior est parabolice, ideoque in parabola proprius, litteralis et genuinus; v. g. *Matth.* VI, 22, et *Luc.* XIV, 16, in parabola Regis invitantis ad nuptias debiles et claudos, eo quod honestiores se excusarent, sensus litteralis non est in quem ἰσοπέλαστα, id est litteræ et voces ostentant, scilicet quod vere Rex quispiam idipsum fecerit, cum hoc ad scopum Christi sit impertinens, et forte nunquam contingerit; sed ad litteram parabolice significatur, quod Christus ad Ecclesiam, gratiam et gloriam suam vocat gentiles idololatrias, ideoque viles et abjectos, eo quod Judæi legi Mosi præfisi Christum respuerint.

VIGESIMUS SEPTIMUS. Tres sunt parabolæ, apologetice et fabulæ partes, scilicet ἰσοπέλαστα, ἰσοπέλαστα, hoc est profabulatio, fabula et affabula-

tio, sive proparabola paræoia et epiparabola. Profabulatio est proœmium parabolæ, vel fabulæ, et quasi prologus, sive gustus et prelibatio quædam parabolæ, qui illi præmittitur, ut indicet quo fine et contra quos parabola dicenda sit, postquam sequitur ipsa parabola, vel fabula; ac denique subjungitur affabulatio, sive postfabulatio, quasi conclusio et applicatio fabulæ, aut parabolæ, quæ parabolam vel fabulam explicat, applicatque ad id quod significat, quodque in moribus corrigendum vel faciendum denotat. Exemplum clarum est *Luc.* XVIII, 9, in parabola Pharisei et Publicani, ubi ἰσοπέλαστα, sive profabulatio præmittitur, cum dicitur: « Dixit autem et ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, et asperebantur cæteros, parabolam istam. » Ipsam deinde parabolam enarrat. Denique vers. 14, ἰσοπέλαστα, sive postfabulationem, qua mentem fructuosam parabolæ ostendit, subjungit, dicens: « Dico vobis: descendit hic justificatus in domum suam ab illo; quia omnis qui se exallat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. » Idem ad oculum videre est in fabulis Æsopi, in apologetis Phædri, in emblematicis Alciani.

VIGESIMUS OCTAVUS. In parabolis sæpe non personæ personis, nec partes parabolæ partibus rei significatæ, sed tota parabola toti rei aut sententiæ comparatur. Exemplum est *Matth.* XI, 16: « Similis est (generatio hæc) pueris sedentibus in foro, qui clamantes cœqualibus dicunt: Cœcimus vobis, et non saltatis; lamentavimus, et non planxistis; » ac deinde id applicat prædicationi Christi et Joannis Baptiste, non per partes, quia Christus et Joannes nequeunt comparari hæc pueris, sed totam parabolam toti rei significatæ adæquat. Sensus enim est, *q. d.*: Videre est in hac generatione simile quippiam illi quod in parabola et ludo puerorum contingit, ut sicut nec cantu, nec planctu puerorum moventur morosi homines ad saltandum vel lamentandum; sic Scribæ et Pharisei nec exemplo laxioris vite Christi, nec severioris Joannis Baptiste provocari poterint ad penitentiam, conversionem et salutem. Simile est *Matth.* XIII, 24: « Simile, inquit, est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, » etc., nec enim precise et per partes seminans similis est regno, sed potius regi. Sensus ergo est, *q. d.*: Similiter agitur in regno cœlorum, perinde ac si quis in agro suo seminet bonum semen, cui deinde inimicus superseminat zizaniam.

VIGESIMUS NONUS. In parabolis æque ac in similitudinibus non omnia sunt similia, nec applicanda rei significatæ. Multa enim in iis dicuntur ad decorem et elegantiam parabolæ, quæ ut ab aliis rei significatæ applicandis discernantur, hunc canonem nota. In parabolis finis et scopus parabolæ spectandus est; illa enim quæ ad hunc scopum pertinent parabolæ partes sunt necessario

applicandæ rebus per parabolam significatis; quæ vero ad eum non pertinent, parabolæ sunt emblemata et ornamenta. Ita Origenes et S. Chrysostomus in *Matth.*, cap. XIII, et S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.*, cap. II. Sic *Matth.* XXV, 13, dicitur rex distribuisse servis suis talenta, « unicuique secundum propriam virtutem, » quia scilicet rex prudens ita facere solet. At Christus non ita, nec enim attribuit gratiam secundum vires dotisque nature et liberi arbitrii, ut volere Pelagiani, ut ingeniosos, divitibus principibus det majorem; rudibus vero, pauperibus et plebeis minorem. Sic *Lucæ* XIV, 26, in parabola computantis sumptus, ad parandum bellum et ad edificandum turrim, multa sunt emblemata, ut ibidem patebit. Denique ex parabola et ex postparabola, puta prologo, æque ac ex conclusione parabolæ veniendus est genuinus ejusdem sensus. Audi S. Basilium in *Regul. brevior.*, interrog. LV. « Sane, inquit, quæ afferuntur similitudines, nequaquam eæ omnino singulis earum rerum ad quas allatæ sunt partibus respondent; sed illud agunt, ut mentem ad id de quo agitur argumentum dirigant. » Celebre est S. Augustini documentum, lib. XVIII *De Civit.*, cap. II: « Non sane omnia quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt; sed propter illa quæ aliquid significant, etiam ea quæ nihil significant, atteñuntur: solo enim vomere terra proscribitur; sed ut hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria: ita in prophetica historia dicuntur et aliqua quæ nihil significant, sed quibus adhaerent quæ significant et quodammodo religuntur. »

VIGESIMUS DECIMUS. In multis parabolis præter id ad quod p̄mo et principaliter assumuntur, Christus secundarim mysteria aliqua insinuare voluit, quasi sensu tropologico, vel allegorico, ut patet *Lucæ* X, 30, ubi Christus per parabolam Samaritani non tantum ostendere voluit quis sit noster proximus, quem diligere debeamus, quod querebat legislèritus, sed simul allegorice significavit se esse Samaritanum, qui Adamum ejusque posteros, peccato primoque saucios, infuso oleo gratiæ suæ et vino sanguinis sui, sanaret et salvaret.

VIGESIMUS UNDICESIMUS. Parabolæ sunt duplices, aliæ similes, aliæ dissimiles. In similibus vis argumenti est a pari vel simili; in dissimilibus, a minori ad majus.

VIGESIMUS DECIMUS. Nonnulla dicuntur in Evangelio et Scriptura non ex rei veritate, sed ex opinione hominum illius temporis quo gesta referuntur. Sic Joseph vocatur pater Christi etiam a B. Virgine, quia homines illius ævi putabant eum esse patrem, cum revera non esset pater. *Luc.* II, 48. Sic Ananias, *Jerem.* XXVIII, 10, vocatur propheta, quia talis æstimabatur a vulgo, cum revera esset pseudopropheta. Ita S. Hieronymus in *Jerem.* XXVIII.

VIGESIMUS TERTIUS. S. Scriptura, mutatis licet rebus, eadem tamen pristinaque nomina quæ

prout habuere, servat rebusque assignat. Sic *Joan.* VI, caro Christi in Eucharistia vocatur panis; quæ fuit panis, sed per transubstantiationem qua fit in consecratione, panis mutatus est in carnem Christi. Sic Dina a Sichem corrupta vocatur virgo, quia paulo ante fuerat virgo. *Genes.* XXV, 2. Sic virga Aaronis conversa in serpentem vocatur virga, quia paulo ante fuit virga. *Exod.* VII, 12: « Devoravit, inquit, virga Aaron virgas eorum, » hoc est serpens in quem virga Aaronis a Mose conversa erat, devoravit serpentes in quos Magi Pharaonis suas pariter virgas ad ostentationem miraculi converterant. Ita S. Hieronymus in *Matth.* XXVI.

VIGESIMUS QUARTUS. Evangelistæ et Apostoli in citanda S. Scriptura veteris Testamenti sæpe illam non verbo tenent, sed quoad sensum citant: ut, « quoniam Nazareus vocabitur, » *Matth.* II, 23; de quo ibidem plura. Sic quod *Osæ* ait, cap. II, 1: « Dicite fratribus vestris, Populus meus; et sorori vestræ, misericordiam consecuta. » Paulus, *Joan.* IX, 23, citat: « Sicut in Osæ dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. »

VIGESIMUS QUINTUS. Scriptura novi Testamenti sæpe alludit ad veteris Testamentum, quia res novi adumbrate fuere in veteri: « Finis enim legis Christus. » *Rom.* X, 4. Moses ergo et Propheta fuere ἀρχέτυπα et præcursores Christi. Mira igitur mireque consona est harmonia novi Testamenti cum veteri, cujus artifex et auctor est Spiritus sanctus. Quare ut Scripturam novi Testamenti a radice et fundamentis explices, scrutare et vestigia figuram, prophetiam vel sententiam veteris Testamenti ad quam alludit; vetus enim lex novæ fuit præfudium, nova veteris est complementum, ut fæse docet S. Augustinus libris pluribus quo scripsit contra Faustum, Manicheum, et Tertullianum libris quatuor quo scripsit contra Marcionem.

VIGESIMUS SEXTUS. Interpres latinus idem serbum grecum diversimodo vertit, præsertim dum una vox latina vim verbis grecis non assæquitur, nec adæquat: sic ἰσοπέλαστα, in Marco fæse semper vertit *comminari*, in Luca *incerpere*, in Matthæo *imparare* vel *præcipere*, ut *Marc.* IV, 30: « Et exurgens, inquit, comminatus est vento. » *Sed Lucæ*, cap. VIII, 25: « At ille surrexit, inquit, increpavit ventum. » *Matth.* VIII, 26: « Tunc surgens, inquit, imperavit ventis et mari; » quia ἰσοπέλαστα significat *præcipere* sive *imparare*, non simpliciter, sed cum *inceptione, objurcatione et comminatione, additis minis objurare, interminari et interdicare.*

Denique hæc spectant Canones 64 quos Epistolæ S. Pauli præfixi. Epistolæ enim istæ explicant Evangelium, quia Paulus interpres est Christi.

VIGESIMUS SEPTIMUS. Evangelistæ sæpe brevita-

tis studio rem gestam implicent et convolvunt, qua de causa subinde repugnantiā dicere videntur : quare res gesta interpreti fusiū explicanda et distinctius enucleanda est, ut consonantia appareat. Sic Lucas, cap. vii, 3, de Centurione militante legatos ad Christum ut servum suum sanaret, ait : « Et cur audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judeorum, rogans eum ut veniret, et salvare servum ejus, » cum tamen paulo post subdit eundem dixisse : « Propter quod et meipsum non sum dignum arbitratu ut venirem ad te, » quia scilicet ego sum gentilis, ideoque indignus tuo aspectu et alloquio, quare pro me submissi ad te seniores Judeorum : quomodo ergo paulo ante putat eo se dignum, imo rogat ut Christus veniat ad se? Resp. « rogans, quatenus refertur ad « ut salvaret servum ejus, » pertinet ad ipsum Centurionem ; quatenus vero refertur ad « ut veniret, » pertinet ad seniores Judeorum, qui de suo hoc addiderunt, putantes hoc decere et Centurionem facile hoc cupere : Lucas tamen tribuit id ipsum quoque Centurioni, quia quæ legatus dicit et petit nomine legantis, hæc legans ipse dicere et petere censetur, de quo dura Mattheus, viii, 6. Sic Lucas, cap. xix, 9, ait

Postremo in Evangelis solerter expendendum est et discernendum an id quod Christus ait, si consilium, an præceptum, an permissio, an permissio duntaxat (qualis est illa ad Judam proditorem : *Quod facis, fac citius*) Joan. xiii, 27 ; an parabola, an adagium, an emblema, etc. Quocirca in gratiam lectoris ex singulis Evangelis collegi (eo quod nemo hucusque id præstiterit) omnia Evangelica consilia, præcepta, promissa, minas, miracula, oracula, sacramenta, paradoxa, parabolas, adagia, emblemata et ænigmata, eaque ordine suo disposita hic subjicio.

Accipe ergo primo omnia consilia per Evangelium sparsa hic in unum collecta, deinde præcepta Evangelio propria, denique mixta, id est, partim consilia, partim præcepta. Consilia et præcepta voco quæ ut plurimum sunt talia; nam et consilia in necessitate fiunt præcepta, et præcepta citra necessitatem subinde fiunt consilia, ut patet in præcepto eleemosynæ.

Christum dixisse Zachæo, cum domum ejus intraretur : « Quia hodie salus domui huic facta est, » ubi involute significat, Zachæo in Christum credente et converso, totam familiam heri sui exemplum secutam in Christum credidisse et sanctificatam fuisse, etiamsi paulo ante solus Zachæi credentis meminerit. Sic octo beatitudines quas recenset Mattheus, cap. v, 1 et seqq. Lucas, cap. vi, 20, in quatuor contrahit.

TRICESIMUS OCTAVUS. Christus sanaturus ægrotos, prius ab eis solet requirere fidem, qua scilicet credant Christum id posse facere sperentque facturum : quare fides hæc non est historica et nuda, non etiam charitate formata et justificans, sed est fides miraculorum, quæ includit certam spem et fiduciam miraculi, quod scilicet Christus eos sua omnipotenti manu sanabit, qualis fuit fides S. Gregorii, qui idecirco cognominatus est Thaumaturgus, id est miraculorum opifex. Hanc enim fidem quasi congruam ad miraculum dispositionem, prærequirit Christus; unde de illa ait : « Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis. » Matth. xvii, 19.

## CONSILIA EVANGELICA,

QUE OMNIA SUNT DE ACTIBUS HEROICIS VIRTUTUM CHRISTIANARUM, IMO APOSTOLICARUM.

1. Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam. *Matth. iii, 13.*
  2. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. *Matth. v, 3.*
  3. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.
  4. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.
  5. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.
  6. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.
  7. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.
  8. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.
  9. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.
  10. Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me : Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.
  11. Si quis te percuiderit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. *Matth. v, 39.*
  12. Et qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. *Ibid. 40.*
  13. Quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. *Ibid. 41.*
  14. Omni petenti te tribue; et qui auferit quæ tua sunt, ne repetas. *Luc. vi, 30. Matth. v, 42.*
  15. Estote vos perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est. *Matth. v, 48.*
  16. Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. *Matth. viii, 22.*
  17. Vos autem nolite vocari Rabbi; unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. *Matth. xxiii, 8.*
  18. Et patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester, qui in cælis est. *Ibid.*
- Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est, Christus. *Ibid.*
19. Qui major est vestrum, erit minister vester. *Ibid.* Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur. *Ibid.*
  20. Oportet semper orare, et nunquam deficere. *Luc. xviii, 1.*
  21. Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat. *Matth. xix, 12.*
  22. De Virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.
- Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.
23. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni, sequere me. *Matth. xix, 21.*
  24. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *Luc. x, 42.*
  25. Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joan. xv, 13.*
  26. Mutuum date, nihil inde sperantes. *Luc. vi, 33.*
  27. Benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. *Matth. v, 44.*
  28. Et accedens unus Scriba, ait illi : Magister, sequar te quocumque ieris.
- Et dicit ei Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidus; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. *Matth. viii, 49.*
29. Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? *Matth. xix, 27.*
  30. Denique consilium Evangelicum est, Evangelizare gratis, non accepto ullo prædicationis stipendio aut sumptu, ut fecit S. Paulus labore manuum se suosque sustentans qui prouide ait : « Quæ est ergo merces mea? ut Evangelium prædicans sine sumptu ponam Evangelium. » *I Cor. ix, 18.* Juræ enim naturæ et divino Apostolus vivere potest ex Evangelio; dignus est enim operarius mercede sua : unde si gratis evangelizat, facit opus liberale et supererogationis, quod consilii est, non præcepti.
- Ex dictis liquet multa esse consilia Evangelica, sed præcipue tria, scilicet voluntariaus paupertatis, castitatis et obedientiæ religiosæ, uti contra novantes unæ ore docent omnes orthodoxi.

## PRÆCEPTA EVANGELIO PROPRIA,

NEC IN LEGE VETERI EXPRESSA.

1. Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum. *Matth. iv, 17.*
2. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem qui in cælis est. *Matth. v, 16.*
3. Si offers munus tuum ad altare, et ibi recon-



- datus fueris, quod frater tuus habet ali-  
quid adversum te, relinque ibi munus  
tuum ante altare, et vade prius reconciliari  
fratri tuo, et tunc veniens offeres munus  
tuum. *Matth. v. 33.*
4. Esto consentiens adversario (*actori et accusatori, quem verbo et verbere lassisti*) tuo dum es in via *cum* eo, ne forte tradat te adversarius iudicis, et iudex tradat te ministris, et in carcerem mittaris. *Matth. v. 23.*
5. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Matth. v. 28.*
6. Quod si oculus tuus (*vel manus*) dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te. *Matth. v. 29.*
7. Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, adulterat. *Matth. v. 32.*
8. Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in oculis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. *Matth. v. 43.*
9. Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. *Matth. v. 22.*
10. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in oculis est. *Matth. vi. 1.*
11. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et, clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Ibid. 6.*
12. Orantes nolite multum loqui (*ore, sed corde*) sicut Ethnici. *Ibid. 7.*
13. Sic ergo vos orabit: Pater noster, qui es in cœlis; sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, etc.
14. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, etc., sed in cœlo. *Matth. vi. 19.*
15. Non potestis Deo servire et mammonæ. *Matth. vi. 24.*
16. Ne solliciti sitis animæ vestræ quid mandu-
- celis, neque corpori vestro quid inveni-  
mini. *Matth. vi. 25.*
17. Quærite ergo primum regnum Dei et iusti-  
tiam ejus, et hæc omnia adicientur vobis.  
Nolite ergo solliciti esse in crastinum.  
*Matth. vi. 33.*
18. Nolite iudicare, ut non iudicemini. *Matth. vi. 1.*
19. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. *g. d.:* Nolite sancta dogmata tradere incredulis et obstinatis, qui ea rideant et subsannent. *Matth. vi. 6.*
20. Quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. *Matth. vii. 12.*
21. Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est que ducit ad perditionem. *Matth. vii. 13.*
22. Qui dixerit (*verbum*) contra Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. *Matth. xii. 32.*
23. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. Ex verbis enim tuis justificaberis; et ex verbis tuis condemnaberis. *Matth. xii. 36.*
24. Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intabitis in regnum cœlorum. *Matth. xviii. 3.*
25. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripue eum inter te et ipsum solum; si te audiverit, lucratus eris fratrem tuum. *Ibid. 15.*
26. Si autem te non audiverit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, usque in ore duorum vel trium testimonium stet omne verbum. *Ibid.*
27. Quod si non audiverit eos, dic Ecclesie; si autem Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. *Ibid.*
- Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. *Ibid.*
- Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. *Joan. xiii. 34.*
- His adde præcepta Sacramentorum, quæ inferius afferam.*

## MIXTA,

HOC EST PARTIM CONSILIA, PARTIM PRÆCEPTA.

1. Ego autem dico vobis non jurare omnino. *Matth. v. 34.*
2. Sit autem sermo vester, est, est; non, non: quod autem his abundantius est, a malo est. *Matth. v. 37.*
3. Cum jejunas, unge caput tuum et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito. *g. d.:* Cum jejunas, noli id ostentare, sed cela et dissimula per corporis animique ala-
- critatem et lætitiã. » *Matth. vi. 17. Idem dicit de Eleemosyna, 3; de Oratione, 6.*
4. Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. *Matth. vii. 7.*
5. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. *Matth. x. 41.*
6. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aque frigidæ tantum in no-

- mine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Ibid.*
7. Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. *Matth. xi. 28.*
8. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. *Matth. xii. 50.*
9. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Matth. xvi. 24.*
10. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. *Luceo xii. 33.*
11. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis. *Luceo xxi. 36.*
12. Scrutamini Scripturas. *Joan. v. 39.*
13. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus. *Joan. vi. 27.*
14. In hoc cognoscet omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *Joan. xiii. 35.*

## PRÆCEPTA ET CONSILIA A CHRISTO

SEORSIM DATA APOSTOLIS.

1. Venite post me, et faciam vos fieri pisces hominum. *Matth. iv. 19.*
2. In viam Gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis; sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel. *Matth. x. 5.*
3. Euntes autem predicatæ dicentes, quia appropinquavit regnum cœlorum. *Ibid.*
4. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mandate, demonia ejicite. *Ibid.*
5. Gratis accepistis, gratis date. *Ibid.*
6. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. *Ibid.*
7. Non peram in via, neque calceamenta, neque virgam; dignus est enim operarius cibo suo. *Ibid.*
8. In quacumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete donec exeatis. *Ibid.*
9. Intrantes autem in domum, salutate eam dicentes: Pax huic domui. *Ibid.*
10. Et quicumque non receperit vos, neque audiverit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. *Ibid. 14.*
- Amen dico vobis, tolerabilis erit terra Sodomorum et Gomorrhæorum in die iudicii, quam illi civitati. *Ibid.*
11. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Ibid. 16.*
12. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concillios, et in synagogis suis flagellabunt vos. *Ibid. 17.*
- Et ad prasides, et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. *Ibid.*
13. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. *Ibid. 19.*
14. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Ibid.*
15. Cum autem persequerentur vos in civitate ista, fugite ad aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis. *Ibid. 23.*
16. Ne ergo timeritis eos. Nihil enim est operum, quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur. *Ibid. 26.*
17. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure audistis, predicatæ super tecta. *Ibid.*
18. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timele eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. *Ibid. 28.*
19. Nolite arbitrari quia pacem venierim mittere in terram, non veni pacem mittere; sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nrum adversus socrum suam. Et inimici hominis domestici ejus. *Ibid. 34.*
20. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut fratrem suum plus quam me, non est me dignus. *Ibid. 37.*
21. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.
22. Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam. *Ibid. 35.*
23. Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum qui me misit. *Ibid. 40.*
24. Nemini dixeritis visionem (*Transfigurationis*) donec Filius hominis a mortuis resurgat. *Matth. xvii. 9.*
25. Ut autem non scandalizemus eos (*exactores didrachmæ pro tributo*), vade ad mare et mitte hamum, et eum picem, qui primus

- ascenderit, tolle; et aperto ore ejus, invenies staterem; illum sumens, da eis pro me et te (*de Petro*). *Math. xvii, 26.*
23. Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo. *Math. xviii, 18.*
26. Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.  
Et qui voluerit inter vos primus esse, crit vester servus. *Math. xx, 26.*  
Sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis. *Ibid.*
27. Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic et vigilate mecum: vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. *Math. xxvi, 38.*
28. Ego rogavi pro te (*de Petro*) ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. *Luc. xxii, 32.*

## PROMISSA EVANGELICA.

1. Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.  
Et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt. *Luc. i, 13.*
2. Erit enim magnus coram Domino; et vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae. *Ibid.*
3. Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.
4. Et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae; ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. *Ibid.*  
Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum.
5. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.  
Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in aeternum. Et regni ejus non erit finis. *Ibid. 30.*
6. Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum caelorum. *Math. v, 3. Ibid. in seq. — Idem regnum altis titulis et nominibus, ceteris septem beatitudinibus promittitur.*
7. Qui recipit vos, me recipit; et qui recipit me, recipit eum qui me misit. *Math. x, 40.*
8. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; et qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet. *Ibid.*

29. Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latum meum; et noli esse incredulus, sed fidelis. *Joan. xx, 27.*
30. Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis, etc.; afferte de piscibus quos prendidistis nunc, etc. Venite, prandete. *Joan. xxi, 6 et seq.*
31. Simon Joannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.  
Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. *Ibid. 15.*
32. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos a nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. *Math. xxviii, 19.*  
Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. *Luc. xxiv, 49.*

9. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Ibid.*
10. Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. *Math. xiii, 43.*
11. Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. *Math. xvi, 17.*
12. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam.
13. Et tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis. *Math. xvi, 17.*
14. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quaecumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in caelis est. *Math. xviii, 19.*  
Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Ibid.*
15. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?  
Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. *Ibid.*
16. Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum. *Math. xix, 11.*
17. Quia haec dicit Dominus eunuchis: Qui castraverint Sabbata mea, et aegerint qua ego volui, et tenuerint foedus meum.

- Dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis quod non peribit. *Isa. xxvi, 4.*
18. Vade, vende que habes, et da pauperibus; et habebis thesaurum in caelo. *Math. xix, 21.*
19. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.
20. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit. *Ibid.*
21. In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in caelo. *Math. xxii, 30.*
22. Enge, serve bone et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. *Math. xxv, 23.*
23. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. *Math. xxviii, 20.*
24. Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia ejicient; linguis loquentur novis.
25. Serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super egros manus imponent, et bene habebunt. *Marc. xvi, 17.*
26. Habete fidem Dei.
27. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere et mittere in mare; et non hesitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.
28. Propterea dico vobis, omnia quae orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. *Marc. xi, 22.*
29. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace. *Luc. i, 29.*
30. Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.
31. Praedicare captivis remissionem, et caecis visum, dimittere contractos in remissionem, predicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. *Luc. iv, 18.*
32. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutum inimici, et nihil vobis nocebit.
33. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudeat autem, quod nomina vestra scripta sunt in caelis. *Luc. x, 19.*
34. Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit quae non auferetur ab ea. *Luc. x, 41.*
35. Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. *Luc. xii, 8; Math. x, 32.*
36. Querite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis. *Math. vi, 33.*
37. Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur? *Luc. xii, 49.*
38. Injicite vobis manus, etc. Ponite ergo in cordibus vestris, non praemeditari quemadmodum respondeatis.  
Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. *Luc. xxi, 13.*
39. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.  
Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.  
Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo; et sedeat super thronos judicantes duodecim tribus Israel. *Luc. xxii, 28.*
40. Pax vobis, ego sum, nolite timere. *Luc. xxiv, 36.*
41. Et ego mitto promissum Patris mei in vos; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. *Ibid. 49.*
42. Eduxit autem eos foras in Bethaniam; et elevatis manibus suis benedixit eis.  
Et factum est, cum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in caelum. *Ibid.*
43. Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno.  
Et erant semper in templo laudantes, et benedicentes Deum. Amen. *Ibid.*
44. Oves meae vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me.  
Et ego vitam aeternam do eis; et non peribunt in aeternum; et non rapiet eas quisquam de manu mea. *Joan. x, 27.*
45. Vado parare vobis locum. Et si abiero, et preparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. *Joan. xiv, 2.*
46. Amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet; quia ego ad Patrem vado.
47. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. *Joan. xiv, 12.*
48. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum,  
Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.
49. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. *Joan. xiv, 16.*

50. Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei meisum. *Joan. xiv. 21.*  
Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Joan. xiv. 23.*
52. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus; vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. *Joan. xv. 14.*
53. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat; ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. *Joan. xvi. 13.*
54. Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.  
Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. *Joan. xv. 26.*
55. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, do-

- cebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. *Joan. xvi. 13.*
56. Sanctifica eos in veritate, etc. Et pro eis ego sanctifico meisum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. *Joan. xvii. 17.*
57. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me. *Ibid. 20.*
58. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti. *Ibid. 21.*  
Et ego charitatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. *Ibid. 22.*
59. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi. *Joan. xvii. 24.*
60. Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. *Joan. xix. 26.*

## MINÆ EVANGELICÆ.

1. Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.
2. Amen dico vobis, tolerabilis erit terra Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. *Matth. x. 14.*
3. Væ tibi, Corozain: Væ tibi, Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere penitentiam egissent. *Matth. xi. 21.*
4. Verumtamen dico vobis, Tyro et Sidoni remissus erit in die judicii, quam vobis. *Ibid. 22.*
5. Et tu, Capharnaum, numquid usque in cælum exaltaberis? usque in infernum descendes; quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. *Ibid.*
6. Verumtamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissus erit in die judicii, quam tibi. *Ibid.*
7. Viri Ninivæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia penitentiam egerunt in predicatione Jonæ, et ecce plus quam Jonas hic. *Matth. xii. 41.*
8. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam; quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Solomon hic. *Ibid.*
9. Sic erit in consummatione sæculi, exibunt

- Angeli et separabunt malos de medio justorum. *Matth. xiii. 40.*
40. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium. *Ibid. 48.*
  41. Væ mundo a scandalis. Necessè est enim ut veniant scandala; verumtamen væ illi per quem scandalum venit. *Matth. xviii. 7.*
  42. Si autem manus tua vel pes tuus scandaliza te, abscinde eum, et projice abs te; bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. *Matth. xviii. 8.*
  43. Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocrite, quia clauditis regnum cælorum ante homines, etc. *Matth. xxiii. 13.*
  44. Væ vobis, Scribæ, etc., quia comeditis domos viduarum, etc. *Matth. xxiii. 13 et sequent., ubi continuo, usque ad finem capituli, Væ, fulmen æternæ damnationis in Scribas, ob eorum superbiam, avaritiam, sevitiam, impietatem denotat.*
  45. Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, et sanguine Abel justus usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachie, quem occidistis inter templum et altare. *Matth. xxiii. 35.*  
Amen dico vobis: venient hæc omnia super generationem istam.
  46. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt,

- quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluit! Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta. *Ibid.*
51. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire; Et cæperit percutere servos suos, manducet autem et bibat cum ebrios; Veniet dominus servus illius in die qua non sperat, et hora quam ignorat; Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus et stridor dentium. *Matth. xxiv. 48.*
18. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. *Matth. xxv. 46.*
19. Væ homini illi (*Juda*) per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. *Matth. xxvi. 24.*
20. Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.
21. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis; væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.
22. Væ cum benedixerint vobis homines; secundum hæc enim faciebant pseudoprophetae patres eorum. *Luc. vi. 24.*
23. Ille autem servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.
24. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.
25. Omnis autem cui multum datum est, multum queretur ab eo, et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. *Luc. xii. 48.*
26. Nisi penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. *Luc. xiii. 3.*

## MIRACULA CHRISTI ORDINE TEMPORIS

QUO PATRATA SUNT, SIGILLATIM DIGESTA.

1. « Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth. » *Luc. i. 41.*
2. « Et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres; et benedictus fructus ventris tui » *Ibid.*
3. « Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? » *Ibid.*
4. Christus recenter natus misit Angelum, qui pastoribus, et stellam, quæ Magis nuntiaret suam nativitatem, eosque ad se visendum adorandumque vocaret. *Luc. ii. 9; Matth. ii. 3.*
5. Oblatus in templo fecit, ut Simeon et Anna se ut Messiam agnoscerent, ac de se prophetaient. *Luc. ii. 23.*
6. In Christum, cum baptizaretur a Joanne, Spiritus sanctus specie columbæ illapsus est, et vox Patris intonuit: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » *Matth. iii. 14.*
7. Christus innox a Baptismo secedens in desertum ibi quadraginta diebus jejunavit et per miraculum ab omni cibo poturque abstinuit. *Matth. iv. 2.*
8. Christus in nuptiis Canæ Galilææ mutat aquam in vinum. *Joan. xxi. 11.*
9. Mox in Paschate omnes vendentes et ementes vultus sui majestate procellens, flagello eiecit à templo. *Joan. ii. 15.*
10. Filium Reguli ægrum sanat Capharnaï. *Joan. iv. 30.*
11. Dæmoniacum ibidem in Synagoga a dæmone liberat. *Marc. i. 23.*
12. Scorum Petri febrientem, multosque ægros curat. *Matth. viii. 15.*
13. Dormiens in navi excitatur a discipulis, ac sedat maris tempestatem, ventisque et fluctibus imperat. *Matth. viii. 15.*
14. Sanat duos dæmoniacos in regione Geneserorum, ac dæmonibus permittit ingredi in porcos, qui eos præcipitant in mare. *Matth. ix. 28.*
15. Sanat paralyticum per tegulas ante se demissum. *Matth. ix. 2.*
16. Vocat Matthæum a telonio, itarum mentem ejus immutat, ut omnibus relictis illico eum sequatur. *Matth. ix. 9.*
17. Archisynagogi filiam a morte revocat, et Hæmorrhœicæ fluxum sanguinis sistit. *Matth. ix. 18.*
18. Duos cæcos illuminat, et dæmoniacum mutum curat. *Matth. ix. 27.*
19. Ad probaticam piscinam in Sabbato sanat ægrum per triginta octo annos. *Joan. v. 2.*
20. Maneco manum aridam restituit. *Matth. xii. 13.*
21. Leprosam a lepra mundat. *Matth. viii. 2.*
22. Centurionis servum paralyticum sanat. *Matth. viii. 5.*
23. Filium viduæ in Naim a morte suscitavit. *Luc. vii. 11.*
24. Magdalenam a morte animæ, et a dæmonibus liberat. *Luc. vii. 48.*
25. Curat dæmoniacum, cæcum et mutum. *Matth. xii. 22.*
26. Quinque panibus pascit quinque hominum millia. *Joan. viii. 11.*
27. Ambulat Jesus super mare, et Petrum super illud ambulare facit. *Matth. xiv. 25.*
28. Sanat filiam Chananæ a dæmone vexatam. *Matth. xv. 28.*
29. Sanat surdum et mutum mittens digitos in auriculas, et exuens tangensque linguam